W. Henry Green
Princeton N. J.

Decr. 7. 1852

IESURUN

SIVE

PROLEGOMENÔN

IN

CONCORDANTIAS VETERIS TESTAMENTI

A

JULIO FUERSTIO

EDITAS

LIBRI TRES.

AUCTORE

FRANCISCO DELITZSCHIO.

GRIMMAE, 1838.

JUL. MAURIT. GEBHARDT.

שפת ישורון

ISAGOGE

IN

GRAMMATICAM ET LEXICOGRAPHIAM

LINGUAE HEBRAICAE.

CONTRA

G. GESENIUM ET H. EWALDUM.

AUCTORE

FRANCISCO DELITZSCHIO.

GRIMMAE, 1838.

JUL. MAURIT. GEBHARDT.

JULIO FUERSTIO,

scholae historice analyticae auctori,

origenum sanscritosemiticarum sagacissimo investigatori,

Concordantiarum Veteris Testamenti

eruditissimo editori

hoc opusculum

inscripsit

Franciscus Delitzschius.

PROOEMIUM.

Pars quaedam religionis et cultus Dei est, hebraicam linguam docere vel discere.
LUTHERUS.

Hoc opusculum, quod judicio intelligentium existimatorum committo, agit de via ac ratione, qua linguam hebraicam et grammatice et lexicographice investigari oporteat, secundum principia ea, quae schola historice analytica accuratiori traditionis perscrutatione, subtiliori linguae cum semet ipsa comparatione et praecipue perpetua sanscritismi collatione invenit et contra scholam empiricam *Gesenii* et rationalem *Ewaldi* propugnat; quae *Jul. Fuerstius* in Concordantiis ad universam vocabulorum hebraicorum copiam lexicographice explicandam adhibuit, et de quorum

veritate mihimet ipsi adeo persuasum est, ut eorum causam neque suscipere verear neque obtinere posse desperem. Haec principia ad artem redacta tribus libris partite, definite distincteque exposui; adhibitis exemplis, quae maximam partem ex Concordantiis delecta sunt, confirmavi, et adjunctis variis iisque plane novis disquisitionibus, veluti de Hellenistis multiplicique inter Judaeos linguae patriae contemplatione, locupletavi. Significavi vero ipsa libri inscriptione, me disciplinae *Gesenii* et *Ewaldi* refragari, non quod de horum virorum meritis laudibus quidquam detrahere cupiam aut ea, quae re et veritate ipsa concedente, proposuerunt, quorum quidem sat multa sunt, arroganter praejudicare vel ad arbitrium meum revocare audeam: sed quia haec ipsa principia, quorum causam egi, principiis istorum prorsus contraria sunt ac liber hicce proinde concertatorius est etiam ibi, ubi eum nulla in contentione ac controversia versari putaveris. Principia scholae historice analyticae nova sunt, non quasi de musto ac

lacu fervida, sed assiduis studiis et perpetua hebraismi cum sanscritismo collatione comprobata: quorum quidem illi neque novitatem neque veritatem concesserunt. Illud facile tolerari poterat; nam vera antiquitus jam cognita fuerint an recens inventa, quid refert? Atque etiam hoc aeque ferendum est; siquidem veritas lento, sed certo gradu progreditur, et, quae primum vix dimicatione digna videtur, tandem amplissime et honestissime triumphat. Comparationis linguarum obtrectatores aliquando intelligent, linguae peculiaris naturam indagari non posse, nisi sensus ille obscurus et inexplicabilis, quem indigenae ingenitum habent, hac ipsa via ad scientiae evidentis fastigium paullatim efferatur, vicissimque ii, qui vel philosophiâ ventosâ vel auguratione conjecturali abripi se patiuntur, aliquando concedent, traditionem historiamque solum esse atque fundamentum, in quo omnis linguae investigatio inniti suberigique debeat.

Ceterum scito, me linguam hebraicam,

neque primaevam illam neque unquam emortuam, hoc in libro ut linguam generatim contemplatum esse, non speciatim ut revelationis divinae instrumentum et quasi gladii spiritûs vaginam, quamquam ad scripturam sacram, utpote unum et solum veteris hebraismi monumentum itentidem erat recurrendum. Exegesin, ut par erat, exclusi; quae a philologia eo differt, quod linguam hebraicam, non qualis est naturâ, sed qualis est sanctificatione, considerat et neutiquam comparatione linguae domestica et extera, sed analogia ipsius verbi divini tanquam praecipuo principio cognoscendi utitur. Nihilominus hanc isagogen symbolam fore spero ad media hermeneutica, quae dicuntur, antecedentia. Etymon enim est quasi punctum saliens, unde potestates vocabuli et derivatorum ejus ad unum omnes emanant. Analysi formae et accidentalium a necessariis secretione ad construendam subtiliusque perspiciendam vocabulorum significationem pervenimus, quam indigena quasi naturali sensu assequebatur et

quam spiritus sanctus ad sensus suos declarandos adhibuit. Et quinam liber dignior est, qui ad verbum investigetur momentoque suo vel minutissimo expendatur, quam scriptura sacra, cuius omnia et singula verba divinitus sunt inspirata? Confido, futurum, ut studia historico-analytica, quae hoc libello tradidi, non temerariam illam praecipitemque apostatarum in scriptura sacra interpretanda arrogantiam adjuvent, sed, quippe solo historico innixa, sanae salubrique exegesi, quae veritatis cognoscendae amore et genuini sacrorum librorum sensus explicandi desiderio flagrat, aliquid adjumenti praesidiique afferant. Ecclesia enim, uti egregie pronunciat Martinus Chemnitius, tantum debet esse grammatica h. e. non debet fingere res novas aut nova dogmata gignere, sed ea, quae a spiritu sancto tradita sunt, debet discere, ex genuina significatione vocabulorum; neque nos possumus custodes esse doctrinae divinitus repurgatae, nisi grammaticam discamus et amemus — Faxit igitur Deus, ut hoc opus-

culum, quod turbulentissimo adolescentiae meae tempore elaboravi, nominis sui gloriae inserviat et aliquam certe utilitatem praebeat ecclesiae suae prostratae, cujus si defensor et propugnator esse nequeo, çerte operarius et bajulus esse concupisco.

Scripsi Lipsiae, Idibus Juliis 1838.

ARGUMENTUM.

LIBER PRIMUS. Hebraicorum studiorum per singulas aetates maculae atque infirmitates eorumque nihilominus pedetentim progredientium perfectio atque incrementa. *Prima* aetas, imperfecte traditionalis, grammaticae expers, tantummodo usu quodam pollens. *Origenis* et *Hieronymi*, auctorum hebraicae in ecclesia philologiae, cum magistris suis talmudicis similitudo. Aetas *altera*, interjecto perquam longo rudis inscientiae intervallo, rursus scholis judaicis, proselytarum potissimum, condocefacta totaque concertatoria et negativa, grammaticae lexicographiaeque intra synagogae limites Arabum aemulatione jam tum florentissimae ne tantulum quidem ad codicis sacri intelligentiam convertens, attamen paullo literatior majorique imbuta usu. *Lyranus*, primus post Hieronymum textus hebraici interpres, Rashii studiosior; *Capnio*, primus hebraicae linguae grammaticus, et *Pagninus*, primus post Hieronymum textus hebraici translator, ambo Qimchio addicti. *Tertia* aetas s. reformatoria, rursus ad traditionem confugiens, sed magistris non optimis erudita et a traditione vix primoribus labris gustatâ aequo citius et cum magno ipsius detrimento desciscens, sed tamen in ejus cognitione ulterius, quam aetas superior, ingenti industriâ progressa et ad scripturarum hebraicarum limpidissimum fontem reversa. *Elias Levita*, grammaticus sane vendibilis, sed ultra, quam merebat, honoratus. *Quarta* aetas, traditione indies magis posthabitâ, linguam hebraicam harmonicâ dialectorum compositione illustrare conata, hoc subsidio synagogâ superior, ceteroqui, subtracto historico fundamento, inferior. Haruspicina *Gussetii*; Hieroglyphica *Neumanni* et *Loescheri*, utraque traditionis ceterarumque linguarum orientalium abusum oppugnans eoque ipso comparationem interiorem longius provehens. *Quinta* aetas, hyperarabizans et ad conjectandi petulantiam delapsa, attamen comparationem dialecticam orsa; *Schultensii*, fanatici traditionis judaicae exagitatoris, a Judaeis ad Moslimos defectio. *Sexta* aetas, melius temperamentum inventorum subsidiorum consectans, sed traditionis prorsus ignara eique proinde infesta, arabicae linguae inveterata consuetudine observantior, aramaicae et neohebraicae justo negligentior, sanscritismi cum semitismo formalem idealemque communionem ignorans atque adeo denegans. *Gesenii*, *Hupfeldi* et *Ewaldi* (scholae empiricae, historicae et ratio-

nalis) merita plane singularia, sed eorundem in linguae contemplatione varii lapsus et multiplex a perfecta expletaque philologiae hebraicae forma aberratio. *Guil. de Humboldt* et *Fr. Boppius*, linguarum sanscriticarum sagacissimi investigatores, novam viam studiis semiticis sternunt et, quid analysi historice comprobata in linguis semiticis praestari queat, in indogermanicis demonstrant. Aetas *septima* a *Jul. Fuerstio* inchoata traditionem neglectam instaurat et comparationis interioris, subsidii praestantissimi, certas leges quaerit non solum dialectorum, in his aramaicae et neohebraicae, complexione, sed etiam sanscritismi, cujus intimam cum semitismo necessitudinem evincit, collatione, non conjecturali illa et fragmentaria, sed historico-analytica et utrumque phonologice, grammatice atque etymologice comprehendente.

LIBER SECUNDUS. *Linguae* origo, natura atque dignitas. *Primaevae* linguae interitus ac disseminatio in linguas mediate aut immediate ex ea ortas eique aetate vel propiores vel ab ea remotiores. Lingua *hebraica*, licet neutiquam primogenia et vel aramaicâ aetate inferior, tamen monumentis suis divinis omnium antiquissima et prae ceteris digna, quae in medio universitatis linguarum comparative illustrandarum collocetur. Lineamenta methodi, quà solà cum fructu veritatis investigari possit. *Traditionis* cum ecclesiasticae tum synagogalis praerogativa, fontes, pretium et in veritate praevidenda prospera plerumque divinatio exemplis illustrata. Comparatio linguae hebraicae cum semet ipsa *interior* s. *domestica*, ejus leges, cautelae et fructus, cum larga exemplorum prolatione. Comparatio *dialectorum semiticarum* uni stirpe innixarum lucemque sibimet ipsis invicem praebentium. Comparationis dialecticae rudimenta antiquitus posita, sed sine recta ratione providaque illa cautione pro aetatis atque indolis dialectorum diversitate adhibendâ. Dialectus aramaica, utpote omnium antiquissima et arabicam monumentorum vetustate superans, ceterarum coryphaea et quasi choragis. Contemplatio ejus, qualis viguit quondam et in ecclesia et in synagoga, nominatim inter Judaeos palaestinenses et aegyptios. Idiomatum judaico-aramaicorum variae propagines suo ordine sigillatim consideratae. *Soharici* (gnostici permixti) et *masoretici* (grammatici palaestinensis) disterminatio. Aramaismus christianus s. *syriacus;* monita ac praecepta de hoc illoque comparando. Collectio vocabulorum solitariorum aut rariorum linguae hebraicae ex idiomàtis aramaicis illustratorum. Significatio primitiva aliquot verborum ejusque propagatio ac translatio indidem explicata. Ratio institutioque linguae *arabicae* comparandae; hujus diversa aetas, species atque indoles. Dialecti himjariticae et priscae koraisensis in talmudibus et midrasis utramque conferre solitis reliquiae. Arabicae linguae decursu temporum propagatio; ejus per Islamum conversio non sine cooperatione aramaismi judaici et christiani facta; ejus vicissitudines commutationesque in ore vulgi scriptisque hominum traditionis literarumque studiis deditorum. Ejus virtutes insignes ad

hebraicam explicandam, et quam caute, solicite ac religiose propter ejus singularitatem et amplitudinem comparatio instituenda sit. Duodecim exempla, in quibus usus linguae arabicae plane eximius conspicitur. *Neohebraica* lingua veteri et aetate et indole propior. Ejus manifestus jam usus apud LXX, *Philonem*, et contemplationi et pronuntiationi palaestinensi adstrictum, *Aquilam*, *Symmachum* et *Theodotionem*. Neohebraicae linguae prisca vetustas et peculiaris propagatio, quae ei cum arabicâ posterius excultâ communis est. Causae, propter quas linguae neohebr. collatio minus periculosa ac lubrica sit, quam arabicae. Momenta ad linguae neohebr. a vetustâ declinationes. Copia vocabulorum neohebr. quadrifariam dispertita. Vocabula exegesi aut traditione potestates suas nacta. Cautelae comparationis ejusque fructus sigillatim enumerati et exemplis comprobati. Progressus ad linguam sanscritam. Idea unitatis linguarum hagadae veterrimae subjecta.

LIBER TERTIUS. Linguae *sanscritae* excellentia, monumentorum tractationisque ejus grammaticae antiquitas. Initia comparationis ejus a nonnullis jam facta, sed disperse nullaque ratione ac disciplina. *Phonologiae* sanscritosemiticae prius constituendae necessitas. Trias originalis *vocalium* scriptione et sanscrita et semitica signatarum. Vocalis potestas literarum א, ו, י (ע, ה) in verborum initio, medio ac fine. Trias *radicum*, verbalium, nominalium et pronominalium, earumque natura, necessitudo ac discrepantia. Verbum neutiquam unum solumque orationis contextae semen. Nominum primitivorum duae species. Radicum pronominalium propria natura. Via ac ratio, qua grammatici Indorum radices abstraxerunt. Radices ab ipsis confictae, omissae, complures quoque, quantumvis eas literae sanscritae nondum comprobaverint, recte tamen informatae. Radicum verbalium sanscritarum et semiticarum necessitudo; similitudinum collatio dissimilitudinumque aliquot commentitiarum dissolutio. Radices verborum lucendi sanscritosemiticorum analytice collatae. Radicum verbalium propagatio atque amplificatio primum formatione, deinde compositione fieri solita. Tres *formationis* gradus; via quadruplex ad plurilitera formanda. *Compositio* verborum semiticorum; praefixa praepositionalia cum praepositionibus sanscritis dividuis et cum radice individue concretis comparata. Compositionis praepositionalis summa consensio in lingua hebraicâ atque sanscritâ ejusque necessariis, persicâ, graecâ, latinâ. Praefixorum verbalium semiticorum numerus; vv. bilitera composita et trilitera decomposita. Praefixorum significatio et terna uniuscujusque praefixi exempla verbalia. *Indigenitalis* contemplatio, quae, trigrammatismum aspernata, sensu ingenito, sed obscuro linguam compositissimam esse ponit, hac sanscritismi collatione ad scientiam evecta. Specimen interpretationis grammaticae ex principiis priscis atque nativis. Artis grammaticae, ut inter Arabes, sic inter Judaeos ab hoc innato sensu abalienatio. *Juda Chajug'*, legis trigrammatismi sauctor, abrogatâ cascâ contemplatione, quae occurrit

ex operibus Menahemi ben-Saruk Natanique Jehiëli, et conspicitur jam in *Philone*, in Talmudibus et Midrasis veteribus. Compositionis facultas linguae sanscritae propria. Compositorum *nominalium* sanscritorum sex classes. Status constructus Hebraeorum cum his compositorum classibus collatus. Compositio nn. propriorum hebraica aeque multiplex, appellativorum similis quidem, ssd rarissima. Permulta nn. appellativa a grammaticis temere pro compositis habita. Nmm. pluriliterorum conformatio triplex, primum prosthesi, deinde epenthesi, denique paragogâ terminationum significantium. Nmm. imperfectiva eorumque variae species. Classes sex nominum, affixis auctorum, a grammaticis neglectae, cum perpetua sanscritorum comparatione uberrimaque exemplorum collectione. Compositio nominum appell. a semitismo aliena et nonnisi exceptione, praecipue dialectorum vulgarium, propria. *Numeralium* compositio. Infinita semitismi facultas in *radicibus pronominalibus* compositione propagandis.

LIBER PRIMUS

(De studiorum hebraicorum ortu ac progressibus).

LIBER PRIMUS.

Negari non potest, linguae sanctae literarumque hebraicarum studia decursu aetatum adeo profecisse, ut ecclesia, doctrinae ornatu nunc paene exuta, si modo omnes hos progressus in utilitatem suam redigere veritatique divinae subjicere studeat, uberrimos laetissimosque fructus, quales nondum percepit ac condidit, sperari queat. Quod qui inficiatur, hunc lumina amisisse, hunc auribus captum esse crediderim; nam calcem, ad quam decursum est, non videt, vocem historiae, quae acclamat, non audit. Quam tenuis atque exilis erat linguae hebraicae cognitio, quam pauci atque admodum pauci ecclesiae doctores (quorum coronae ceteroqui fulgentioribus gemmis sunt illuminatae) primis post apostolicum seculis non sine magnis difficultatibus laboribusque discendi e Judaeorum scholis hauserunt. Nempe carebant omnibus discendi adminiculis praeter Judaeorum institutionem, qui quidem his temporibus sermone neohebraico utentes, multum illo a vetere discrepanti peregrinarumque linguarum barbarie infuscato, nondum eo processerant, ut linguam sanctam, facto inter hebraismum vetustum ac novum discrimine, grammatice tractarent. Hinc factum est, ut illa linguae hebraicae notitia, quam patres ecclesiae sibi aegre comparaverant, fulta esset sola judaica disci-

plina, ad quam (per semet ipsam imperfectam et intellectu difficilem) diligenter examinandam a grammatica et historia linguae ne mediocriter quidem erant instructi. Certum est autem, suam cuique populo linguam, utcunque sensu quodam subtili et arcano ductus usu ejus excellat, occultam et quasi ab ipsa natura involutam esse, donec, ab usu subjectivo ad contemplationem objectivam elatus, collatione aliis cum linguis instituta, grammatice eam indagare ac custodire ordiatur. Quis ignorat, quantopere Plato (modo Cratylum ejus legeris), et qui ejus inter Judaeos simillimus habetur, Alexandrinus Philo in patriarum linguarum expositione caecutiant, ut, jocenturne an de rebus seriis serio loquantur, paene nescias. An non inter Romanos M. Terentius Varro et Jurisconsulti veteres, cum etyma vocabulorum latinorum enucleare conantur, id quod in Digestis saepiuscule faciunt, homines scilicet plane satis frugi ac sobrii, in maxima siccitate furere videntur? Eodem modo *talmudici* doctores, quos hebraice loquendi scribendique peritissimos fuisse facile concedes, quoties linguae vel leges vel origenes palam proponere volunt, ad insulsitatem delabuntur. Nam qui nondum ea, quae aliquot post seculis tractari coepissent, grammatica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum admonente natura cognoverant, quae, cum rationes et causas linguae sensu quodam teneat, explicare tamen eas non potest. In talmudicis certe codicibus legum grammaticarum sensus acerrimus et subtilissimus apparet, non aperte quidem, sed plerumque obtentis *Midrasi* involucris, qui ex magna parte grammaticus est ac masoreticus; fatendum est tamen, istos, quaecunque, grammaticâ doctrinâ posterius comprobata, sagacius innuerunt, tantummodo

sensisse natura duce, nulla ratione nullaque doctrina. Unde intelliges, qualem esse oportuerit linguae hebraicae notitiam illam, quam a Judaeis talmudicae aetatis doctores priscae ecclesiae mutuati sunt; nimirum externa tantummodo erat, siquidem sensus ille natura insitus atque innatus in ipsos transfundi non poterat; proinde origenum legumque linguae quarum quasi quoddam augurium Judaeis inhaerebat, plane ignara, aut traditionalis aut conjectatoria, fluctuans, dissoluta et a perniciosiori lapsu analogià fidei cohibita. Nihilo minus tamen immortalia sunt Origenis et Hieronymi de ecclesia merita, utpote qui, seminibus surculisque linguae sanctae ex Judaeorum academiis in ecclesiam transportatis, mirabili cum industria studiorum hebraicorum in ecclesia fundamenta jecerunt. *Origenes* (nat. c. 185, m. 253), ut linguae sanctae addiscendae desiderio exarsit, Palaestinam peragravit, ut praeclara antiquitatis judaicae monumenta hebraicosque codices viseret, et, si quos posset, acquireret[1]), ususque est eruditorum Judaeorum disciplina atque auxilio, in his *Julli* Patriarchae[2]), quocum, ut videtur, valde familiariter versatus est. *Hieronymum* vero (nat. 331, m. 420) usque ad summam senectutem hebraicae linguae ardentissimo studio incubuisse, et, posteaquam admodum adolescens vitam solitariam agens apud Judaeum

[1]) Euseb. H. E. VI, 16. *τοσαύτη εἰσήγετο τῷ Ὠριγένει τῶν θείων λόγων ἀπηκριβωμένη ἐξέτασις, ὡς καὶ τὴν Ἑβραΐδα γλῶσσαν ἐκμαθεῖν· τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι.* Diligenter examinatis verborum ponderibus, *Caesareensem* Eusebium sic scribere satis mirari non poteris.

[2]) Orig. Hexapla p. 79 s. Montf., cf. Hieron. adv. Rufin. I. p. 363 (Patriarches Huillus).

Christianum prima hebraicarum literarum elementa addidicit, nullos labores, lucubrationes, sumptus evitasse constat, cum contentione operosa et molesta id unum molientem, ut hebraicam veritatem penitus pernosceret. Ex Aegypto Hierosolyma reversus, dedit se in disciplinam cujusdam *Bar-Chaninae* (quem Barabbam contumeliose appellat Rufinus), doctoris, uti ex discipulo conspicitur, singularis, quem magno pretio conductum, cum popularium insidias metueret, noctu domu sua excepit. Et praeterea in scripturis vertendis atque explicandis socios et adjutores sibi adjunxit Judaeorum doctissimos, quorum ingenium et doctrinam itentidem, velut in epistolis ad Damasum, laudat; siquidem disciplinae judaicae necessitatem traditionisque judaicae auctoritatem pluris, quam aequales, aestimabat, qua quidem re, quamvis concertationis cum Judaeis studium praetenderet, in odium multorum offensionemque ipsius Augustini (punicam linguam et hebraicam easdem esse nescientis) incurrit. Memini, inquit in praefatione ad Jobum, me ob intelligentiam hujus voluminis *Lyddaeum* quendam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio. Idemque in praefatione ad librum Paralipomenon ait: Cum literis a me nuper flagitassetis, ut vobis Paralipomenon latino sermone transferrem, de *Tiberiade* legis quendam doctorem, qui apud Hebraeos admirationi habebatur, assumsi et contuli cum eo a vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem. Provectus jam aetate, cum linguam chaldaicam addiscere vellet, rursus ad synagogam se contulit Judaeique, utriusque linguae usu perquam periti, factus est tirunculus, Origenis, cujus errores dogmaticos rejiceret, exemplum hac in re

imitandum ratus. Hac discendi via Hieronymus factus est eruditissimus ac literatissimus veteris ecclesiae doctor, Origene hoc praestantior, quo florentiora erant academiarum palaestinensium tempora, in quae aetas ejus incidit[1]). Magna est enim status hebraicorum studiorum talmudico tempore in synagoga et ecclesia similitudo atque aequalitas, quam si agnovisset Jo. Clericus, patrum obtrectator invidiosior, aliis armis adversus Martianaeum in Quaestionibus Hieronymianis certavisset. Illud, diligenter evolutis Hieronymi operibus, confirmo, eum pretiosissimum quodque, quod de thesauris suis synagoga ipsi suppeditaret, tanta cum religione atque elegantia in ecclesiae gazam retulisse, ut juxta codices talmudicos ejus opera fontes traditionis judaicae secundarii sint censenda. Atqui hoc quoque verum est, peritiam linguae hebraicae, qua Origenes et Hieronymus judaicis institutionibus imbuti erant, valde, uti tempora ferebant, imperfectam esse et omnia vitia ac pravitates cognitionis sermonis hebraici talmudicae participare, cujus quasi rudior erat effigies. Etenim ecclesia in studiis hebraicis, ut deinceps videbimus, singulis aetatibus persecuta est vestigia synagogae, quae non solum codicis hebraicis literis scripti, sed etiam linguae hebraicae custos divinitus est constituta. Igitur etiam patres ecclesiae, qui aetate talmudica vixerunt, si quam linguae hebraicae notitiam habent, synagogae acceptam referunt, eaque notitia, licet ab ipsis a profano usu ad sacrum translata sit, nunquam tamen synagogali est praestantior, plerumque imperfectior, impolitior illiusque gradum aegre attingens. Hinc in operibus patrum veterum illa cum traditione cascae

[1]) I. G. Carpzov, Critica Sacra VI. §. 2.

synagogae conspiratio, illaque in hebraicis exponendis argumentorum expers praesensio, quae quo longius aberat a grammatica, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, interdum cernebat; hinc vero etiam illa in etymis eruendis insulsitas, illa in comparatione linguarum inficialis nugacitas et vel graecorum nominum ex hebraica lingua interpretatio[1]), illa linguae veteris hebraicae cum neohebraica commixtio[2]), illa vel grammaticae locutionis aequalitas[3]), qua non intellecta multum de gloria patrum detraxit Clericus, illa denique midrasica volubilitas, quae ex parte in eo nititur, quod, uti doctores talmudici, punctatione masoretica, cuius inventio aenigma est numero Platonis obscurius, deficiebantur (id quod vacillans illa pronunciatio[4]) ostendit, quae ingentem portentorum mul-

[1]) V. Origenis alteram partem libri de Nominibus (quem innumeris mendis scatentem in Opp. Hieron. edidit Martianay), v. c. *Κολοσαεῖς* (= קול עשוי, *φωνὴ γενομένη*), *κολωνία* (= גלויה, *ἀποκεκαλυμμένη*). Cf Philo I. p. 57. M. (*Αἰθιοπία* = התעטפות, עטיפה, *ταπείνωσις*), b. Taanit f. 20. *Νικόδημος* (נקרימון, שנקרה חמה בעבורו a. v. נ־קר).

[2]) Veluti *Σατανᾶς*, compos. ex סטא aram. et נחש hebr., serpens apostata (*Irenaeus* in Dial. c. Tryphone); אשר = *παιδεία*, a. v. אסר neohebr. (*Origenes* ad Mat. 18, 19.), סיני, tentatio aeterna et odium, a. v. סנא, סני aram. *Cyprian.* Opp. p. 459 Rigalt. (cf. b. Sabat. f. 58. מאי הר סיני הר שירדה שנאה לא"ה עליו); אולם prius = מן־אולא aram. (*Hieronym.* ad Gen. 28, 19).

[3]) Orig. contra Celsum I. p. 27. Cant. (*ἡ λέξις ἡ Ἀαλμά*) *κεῖται, ὡς φασί, καὶ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ ἐπὶ παρθένου.* Hieron. Quaestion. Hebr. ad Gen. 32, 28. SARITH enim, quod ab Israel vocabulo derivatur, principem sonat. Cf. ad hos locos ineptas Clerici argumentationes, Quaestion. Hieronym. p. 36. 135.

[4]) Hieron. in epist. ad Evangelum (II. p. 570. Par.): Nec refert, utrum *Salem* an *Salim* nominetur, cum vocalibus

titudinem finxit), vel, si malis, non coercebantur. Quidquid hebraicae linguae noverant, a Judaeis utpote Hebraeis, hebraica lingua adhuc utentibus, addidicerant, quemadmodum fere viator gentis exterae, cujus fines peragrat, linguam quodammodo discit et, confecto itinere, rursus dediscit. Grammaticae notitiae, uti ipsorum doctores, expertes erant linguamque nullum alium ad finem, nisi ad scripturas exponendas adhibebant, de ejus legibus rationibusque internis incurii; linguis cognatis, velut punica et syriaca, quarum nonnulli gnari erant, uti nesciebant; in sola judaica traditione acquiescere coacti erant, quam secundum analogiam fidei exigere solent, quamque cum deserunt, ineptire incipiunt. Quare hunc linguae hebraicae in ecclesia statum non immerito gradum infimum appellamus.

Aetate, quae dicitur, media hebraicarum literarum studia tardius, quam his praeparatis exspectari poterat, progressa sunt; synagogam citatis gressibus praeeuntem, ecclesiam lente ejus vestigia prementem videmus. Namque Judaei, qui geonaea aetate, Arabum aemulatione compulsi, ad studia artium liberalissima doctrinasque sese retulerant, grammaticae quoque artis studia, quae effloruerant seculo nono, exercebant. Qua in re multum praestiterunt grammaticis Arabum, eo quod hebraicam linguam non solitariam et ab aramaica arabicaque disjunctam tractabant, sed totum semitismum complectebantur[1]. Du-

in medio literis perraro utantur Hebraei, et pro voluntate lectorum ac varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus pronuncientur.

[1]) Comparationis linguarum vel semiticarum vel exterarum nullus reperitur apud Arabes usus. Namque studia eorum ad patriam linguam investigandam tam ampla tamque profunda

dum *Juda ben-Qarish* Africanus (c. 880) studia targumica, quae arabica lingua percrebescente obtorpuerant, exsuscitarat et linguae tum aramaicae tum arabicae ad hebraicam indagandam usum exemplis ingeniose delectis demonstraverat. Quam pridem operâ *Saadiae Fajumensis* (mort. 942) doctrina de etymis, formis ac punctis linguae sanctae libris et hebraice et arabice scriptis illustrata, atque ad libros

erant, ut, praesertim religione obligati, limites ejus non transgrederentur. Quare libri Arabum passim produnt linguarum cognatarum inscitiam; et quae in Qurano exhibentur, nominum hebr. etyma, vix aliqua parte ad verum ipsum accedunt. Plus etiam aramaicae, quam hebraicae linguae, noverant (siquidem Judaei in Arabia vicinisque regionibus degentes, priusquam arabicae linguae adsuescerent, aramaica utebantur), quare, si quod vocabulum a scriptoribus arabicis hebraicum appellatur, aramaicum esse solet. At haec pauca vocabula, quae ipsis casu fortuito innotuerant, quantumvis forma ac significatione arabicorum consimilia, adducere eos non poterant, ut comparationem vel hebraicae vel aramaicae linguae ulterius persequerentur. Quidquid enim arabicae linguae similitudinem prae se ferret, degeneravisse ipsis videbatur a perfectissimo exemplari linguae patriae, qua ipsum Deum, angelos et sanctos, paradisi incolas, uti fingebant. Hujus linguae cognitionem omnem, h. e. tum materiae tum conformationis ejus scientiam, totam hauriendam arbitrabantur ex carminibus traditionibusque antemuhamedicis, ex Qurano et traditione islamica, *Hadith* nuncupata, denique ex domestico nativoque Beduinorum sermone, quem nulla barbaries infuscaverat. Si quis alio ex ex fonte linguae intelligentiam deducere voluisset, is sine dubitatione inter haereticos esset habitus. Quantum vero ad linguam patriam indagandam interna valeret comparatio, vix suspicati sunt; inveniuntur tamen in commentariis *Bdheiacii* aliquot exempla ejus compositionis, quae tamen vix primordia sunt rei gravissimae. Haec benigne ac liberaliter mecum communicavit *H. O. Fleischerus*, academiae nostrae lumen atque ornamentum.

sacros vertendos exponendosque erat adhibita! Exstiterat *Juda ibn-Chaju'g* Fessanus, cognomentatus ille *Abu-Zekerija* meritoque pater grammaticae appellatus, qui, grammaticorum superiorum, radicales certo numero non adstringentium, libertati refragatus, primus doctrinam de radicibus verbalibus certis artis praescriptionibus obvallatam exposuit legemque de trigrammatismo sancivit; cujus doctrinae quantulum in ecclesiam transiit, mirabiliter perversum, neutiquam emendatum, nedum perfectum est. Hunc cingit maxima corona grammaticorum clarissimorum, in quibus *Abulwalidum Mervan ibn-'Ganah*, septem librorum grammaticorum auctorem, *Samuelem Nagid*, qui libros viginti duo reliquit, *Mosen Gecatilia*, *Jakobum Elazari*, *Ibn-Ezram*, *Tibonidas*, *Qimchios*, quis est quin ignoret[1])? Ne vero nos pudeat confiteri, ecclesiam, cui verbum Dei scriptum indies magis sorderet, grammatica Judaeorum opera, ex quibus inops ab auxiliis aliis maximum fructum capere poterat, prorsus intacta reliquisse. Quo minus enim honoris erat scripturae sacrae, eo minora literarum hebraicarum studia fuerunt, nec si qui concertandi studio in iis elaboraverant, Judaeorum peritiae responderunt. Aevo Carolino coepta est quidem hebraica lingua publice doceri consilio instituto-que *Caroli Magni*, atqui ea res nec prospere successit neque perseveratum est. Literarum orientalium barbarie seculorum extinctarum quodammodo vindex habendus est *Fridericus* ille II, ex Henrico VI. et Constantia regis Siciliae filia natus, qui, expeditione in Palaestinam 1228 suscepta Hierosolymisque cum magna

[1]) S. David Luzzatto, Prolegomeni ad una Grammatica Ragionata della Lingua Ebraica (Padova 1836) p. 26. ss.

parte Syriae expugnatis, inter spolia opima orientalibus detracta codices quoque hebraicos et arabicos in Europam invexit[1]) arabicorumque plurimos a Bononiensibus in Latinum, a Jacobo Anatolio Judaeo in Hebraicum vertendos curavit; at iste linguam arabicam et cum ea Islâmum adeo in sinu atque deliciis habebat, ut in restauranda hebraica lingua non multum curae defigere posset, praesertim in asperitatibus rerum suarum illorumque temporum caligine. Ecclesia igitur plura secula praeterire passa est, quibus cum ipsius probro atque dedecore, ingravescente romani pontificis dominatione literarumque studiis omnino neglectis ac prostratis, literarum quoque hebraicarum memoria sensim obscurata est et evanuit. Sed tamen vel in his miseris luctuosisque temporibus aliquot incrementis aucta est linguae hebraicae in ecclesia cognitio atque scientia. Nam seculis abhinc X. et XI. admirabili quadam continuatione serieque rerum imposita est ecclesiae necessitas, ut videret, ne quid sua orientalium literarum inscitia detrimenti caperet. Mauri, Saracenorum progenies, muhamedica superstitione obstricta, jam diu Hispaniam occupaverant ac prope in suam ditionem ac potestatem redegerant. Nec minus ingens Judaeorum colluvies inde ab Adriani temporibus ad Hispanos delata erat, quorum numerus indies augebatur adventu illorum, qui babylonicis ejecti sedibus in Hispaniam immigrabant. Utrique, intermissis ac ferme sepultis in ecclesia omnibus humanitatis literarumque studiis, tota mente omnique virium contentione ad theologiam, medicinam, philosophiam linguarumque doctrinas incumbebant. Hoc

[1]) Cuspinian. de Caesaribus p. 419. Boxhorn, Hist. Univers. p. 779. Carionis Chron. p. 517.

modo ecclesiam praeclara eruditione atque doctrina multis seculis antecesserunt magnamque vim, quae momento suo vix ponderari potest, in ecclesiam barbarie immersam habuerunt. Factum est etiam singulari illorum industria, ut clero christiano artibus disciplinisque multum praestarent, et, quoties cum Christianis, linguarum et philosophiae expertibus, congrederentur, superiores discedere solerent. Christiani igitur, ne hostibus suis essent ludibrio ac despicatui, et quorum vim olim ferro armisque persenserant, nunc ore et calamo experirentur, ad illas artes atque doctrinas sunt conversi, quibus hostes valere plurimum intelligebant. Quare philosophiae et physicae addiscendae ergo, et ne Muhamedanorum impietati Judaeorumque pervicaciae impares essent, ad linguarum utriusque gentis studia animos appulerunt. Hac vero aetate, uti superiori, ecclesia ad synagogam confugere rursus erat coacta. Neque tamen Judaeos in synagogae communione permanentes, sed proselytas ad castra sua profugos, quorum plerosque linguae literarumque patriarum imperitiores fuisse historia evincit, assumsit, ut viam ad hebraicam linguam percipiendam ipsi sternerent. ***Raymundus de Penna Forti*** Dominicanus (nat. 1175, m. 1275) in conventu Toletano 1250, propositis a regibus Arragoniae et Castiliae splendidissimis praemiis, sociis edixit, ut linguis Maurorum et Judaeorum operam et studium navarent, idemque regiis sumtibus seminare orientale instituit, ut hac via earum linguarum cognitio in ecclesiam derivaretur. Uni de ludis orientalium literarum praefectus est eo tempore ***Raymundus Martini*** Catalonius (nat. 1236), praestantissimus ille ecclesiae propugnator, a Paulo proselyta, qui ao. 1263 et rursus 1264 cum Gerundensi *Nach-*

meni in curia Barcinonensi conflictatus apud regem se in maxima gratia posuerat, familiari suo, eruditus, et post Hieronymum primus, qui aliquo modo hebraice doctus haberi queat. Seculo XIV. inchoante Clemens V. instituta Raymundi de Penna regumque Hispaniae, quae vel temporum socordia vel subsidiorum defectu in oblivionem venerant, instaurare conatus est. Namque in concilio Viennensi 1311 decretum promulgari curavit, ut in OMNIBUS ACADEMIIS CONSTITUERENTUR SEX LINGUARUM EBRAICAE CHALDAICAE ET ARABICAE PROFESSORES, idque eodem consilio, ut ecclesia hostes suos repellere vel attrahere posset. Quo decreto pontificio facto et in *Basileensi* concilio repetito ac confirmato, doctores ecclesiae, quae post hos inanes impetus nondum in possessionem linguae hebraicae venisset, rursum Judaei facti sunt, proselytas dico, quos cum paucos paucioresque etiam doctos ecclesia acquireret, ne unus quidem hebraicae linguae doctor, si unum *Oxoniensem* exceperis, per duo integra secula in academia quaquam constitui poterat[1]). Seculo denique XV., cum literae omnes paullatim renovari inciperent, redintegrato scito Viennensi, complures ad studia linguae hebraicae se conferebant, per Judaeos, qui ad Christianos transiverant, exstimulati. Quandoquidem proselytarum numerus major hoc seculo, quam superioribus, fuit, in quibus nobis occurrunt et in tantis tenebris quasi lucent ***Hieronymus de S. Fide***, ***Paulus Burgensis***, ***Alphonsus de Spina***; ***Paulus de Heredia***, ***Li-***

1) *Ulrich*, De Linguae Ebraicae inter Christianos ante Reuchlinum cultu, Halae 1751. *Reinhard*, De Fatis Studii Hebraeo-Biblici inter Christianos, Vitembergae 1721.

bertas Cominetus, qui a quatuordecim linguarum usu celebratur. Fatendum est tamen, Christianos hac aetate certandi defendendique utilitate studiorum hebraicorum terminavisse modum. Omnia illa studia erant tantummodo, ut ita dicam, militaria h. e. inserviebant defendendae et propagandae ecclesiae, raroque lingua hebraica vel suimet ipsius causa vel ad scripturam sacram illustrandam tractabatur. Synagoga autem post Origenem et Hieronymum exquisitissima doctrina et mirabili industria in lingua sua pervestiganda elaboravit tantamque voluminum grammaticorum copiam effudit, ut ecclesiae omnium subsidiorum, quae desideraret, abundantiam suppeditare posset. Veteres grammaticae disciplinae auctores excepit sat magna hominum egregiorum multitudo, qui quod maiores praeclare inchoaverant, ad principia scholae seu hispanicae seu italicae amplificarunt multisque partibus expleverunt. Ad opera vetustiora accesserant hac aetate lexica (nomine communi *Machberet, Aruk* s. *Sefer Shorashim* nuncupata) *Salomonis Parchon* (ex urbe maritima Bibili Nova h. e. *Calatayud,* scr. Salerni **1161,** Cod. de Rossi **764. 1038.**), *Natani Iehiëli* Romani, *Davidis Qimchii, Josefi Caspe* (c. **1300**), qui nullam semitismi dialectum non usurpaverunt, glossaria hebraeo-arabica, hebraeo-gallica[1]), hebraeo-germanica et hebraeo-italica ordine vel alphapheti vel librorum sacrorum disposita, et grammaticam praeter hos sempiternis monumentis prodiderant *Samuel Benvenasti* (c. **1300**), *Peripot Duran Efodi, Imanuel Romi, Salomo ben-Aba*

1) Pococke, Porta Mosis p. 18. Cod. Paul. Lips. 102. fol. Ross. 1109.

Mare Jarchi, Messer Leon, David Ibn-Jahja multique alii quorum ne nomina quidem ecclesiae ad hunc usque diem innotuerunt. Doctrina grammatica in Perside solis orientis instar emersa, deinde in Africa Iberiaque post meridiem se inclinans, radiis suis longinquissimas terras collustravit et ad Germaniam usque penetravit, ubi gens *Naqdanorum*[1]) e somno priorum seculorum experrecta temporumque iniquissimorum oblita in studio gram-

[1]) In his *Simson ha-Naqdan*, cujus opus grammaticum (quod ut perlustrarem, benevolentia *Aem. G. R. Naumanni*, viri egregii, mihi contigit) exstat in Bibl. Paulina Lips. (102 [a] Ms.), cod. membranaceus, integer, et, si notas latinas passim allitas exceperis, inviolatus, forma majori, usque ad f. 94, b. grammaticam Simsonis exhibens, cujus satis magna pars bis descripta inest, parvula vitio exemplaris, unde fluxit, deficit. Inscriptio libri nullibi exstat, auctoris nomen saepius; nam titulus חבור הקונים, ut subscriptio f. 94, b. docet, ab interpolatore, homine ne mediocriter quidem docto, excogitatus est, qui et ipse primam libri partem מפתח הדקדוק (f. 24, b.) nominavit et versiculos misere compactos singulis capitibus agglutinavit. Hic in fine libri, enumeratis imperite grammaticis, quibus Simson usus sit, addit: על־כן קראתי לספר הזה חבור הקונים כי קנו אתו הרבה זקנים ונמצאו דבריו כנים יותר מעשרה מונים׳ Corrigendus est igitur *Wolfius* (Bibl. Hebr. I. III. IV.) et *Luzzatto* (Prolegom. p. 34.), quem *De Rossi* (Cod. 396.) seduxit. Opus Simsonis (quod, donec genuina inscriptio inveniatur, *Simsoni* appellemus) totum ad principia scholae hispanicae compositum est diligentissimeque elaboratum cum usu insigni grammmaticorum Hispaniae et Galliae clarissimorum (in his ר׳אברהם בן־המבול f. 1, a. et *Josefi Chazan Trecassini* f. 69, b.); pars operis posterior paene eximia est, siquidem doctrinam de vocalibus accentibusque masoretice exponit, Masorae ipsi codicibusque praestantissimis innixa, uti etiam capitula masoretica, quae inde a. f. 94, b. — 100 b. sequuntur et ab eodem Naqdano, ut videtur, profecta sunt.

maticae et criticae evigilavit. At ecclesia arcte et graviter dormitabat et acquiescebat in cognitione illa linguae hebraicae pertenui et a proselytis mutuo sumta, qua se ad dimicationem cum hostibus paratam instructamque esse opinaretur. Scripturam sacram, cujus custos et interpres esse debebat, non tanti aestimabat, ut profundiorem linguae sanctae notitiam sibi appetendam censeret. Nonne mirum est, *Nicolaum de Lyra*, insuper, ut quidem nonnullis videtur, Judaeum, a Normanniae vico, quo natus erat, nominatum (m. 1341), primum inter Christianos post Origenem et Hieronymum hebraicae linguae notitiam Judaeorum, inprimis *Salomonis Isaaki* imitatione ad sacrarum literarum interpretationem traduxisse? Nonne maculae et dedecori est ecclesiae, aurea aetate artis grammaticae inter Judaeos fere quingentis abhinc annis praeterita, *Joannem Reuchlinum* primum inter omnes Christianos grammaticam, quae nomen mereret [1]), cum lexidio confecisse (1506) et monumentum aere perennius exegisse sibi visum esse, Reuchlinum illum barbariae infestum, quem Vindobonae *Jakob Jehiël Loans*, medicus Imperatoris et eques auratus, Romae *Obadia Sforno* erudivit; quem *Jo. Beham*, sacerdos Ulmensis, libris aliquot grammaticis, quos a Judaeis postea Ulma expulsis paraverat convertendosque curaverat, munifice adjuvit; quem denique totum a grammaticis judaicis

[1]) Pericula hebraicae grammaticae scribendae, quae fecerunt *Petrus Niger* Dominicanus (Rudimenta Linguae Hebraicae, c. 1450 ms, Paris.) et *Conr. Pellicanus*, quem Eliae Levitae institutionem quaesiisse Chronica Neustadensia narrant (De modo legendi et intelligendi Hebraea, Basileae 1503) in censum venire non possunt. Reuchlinus ipse ea vel non novit vel non agnovit.

pendentem et terminologiam eorum inculcasse et alquantulum Kabalae nobis obtrusisse concedes? Omitto, quanta ecclesiae ignavia ex eo conspiciatur, quod *Santes Pagninus* Dominicanus in Italia, Reuchlino aetate paullum inferior, primus post Hieronymum integrum codicem hebraicum in latinum sermonem transtulit, Qimchii libro radicum, quem passim male intellexit, adjutus (1527). Illud, quod auditu jucundius est, contendo, linguae hebraicae cognitionem hac quoque aetate quodammodo promotam esse et ecclesiam pedem non retulisse, sed, quantumvis lente ac tardiuscule, nihilominus tamen perpauculis passibus protulisse. Nam ecclesia non solum grammaticam et lexicographiam hebraicam a synagoga mutuari coepit, sed etiam cum Judaeos ex ipsorum scriptis convincere vellet, monumenta Judaeorum neohebraica inspicere coacta erat, de quibus, incredibiliter deinceps auctis, altum est apud patres silentium. Hoc intelliges, si *Dialogum* Justini Martyris cum *Pugione Fidei* contuleris, ex quo excellens et singularis judaicarum literarum scientia elucet.

Vides, linguam hebraicam usque ad tempora instaurationis ecclesiae domesticis synagogae finibus se tenuisse; perpauci singulis seculis privatis studiis enisi sunt, ut eam in possessionem ecclesiae traducerent. Praeterlapsa sunt quindecim secula, quibus perferendae linguae hebraicae in ecclesiam vix initium factum est; renovatis autem cum reformatione scripturae sacrae studiis, etiam lingua hebraica contentis collatisque viribus tractari coepta est, tum in ecclesiis protestantibus, tum in romana illarum impulsu, uti docet exemplum *Thomae Cajetani* (m. 1535), qui, posteaquam cum Luthero improspere litigavit, a docto quodam Judaeo, quem

alebat variisque beneficiis ornabat, linguam hebraicam addidicit. Quaeritur nunc, qua via hac tertia aetate linguae hebraicae cognitio in ecclesiam devenerit, quibus auxiliis ecclesia linguae hebraicae potita sit eamque quasi in suam ditionem redactam propagaverit. Quam ad quaestionem respondendum est, ecclesiam rectam viam minime iniisse videri. Partim enim acquievit in disciplina eorum, qui linguam hebraicam non ipsi a Judaeis didicerant, vel proselytarum indoctorum, uti *Joannis Boeschenstein*, *Antonii Margaritae* aliorumque, quos homines sine sensu, sine sapore, elingues ac rudes dicere non vereor [1]); partim Judaeos adiit, qui suae linguae tam tenuem quam quaestuosam scientiam haberent, velut iste *Elias Levita* (nat. 1472, m. 1549), qui cum esset Judaeorum mediocris ac vix vendibilis grammaticus (cujus veneratione immodica ignorantiam suam literarum judaicarum prodidit *Seb. Muensterus* [2]), inclitum tamen ecclesiae oraculum factum est, ejusque auctoritas tantum valuit, ut conjectura ejus levicula de origine punctationis masoretica ac tiberiensi

1) Inter proselytas doctiores, qui circa reformationem in ecclesia romana linguam hebraicam docuerunt, nominandi sunt *Alfonsus Zamora* (Vocabularium 1514. 1526.), *Paulus Paradisi*, Venetus, a Francisco I in Galliam vocatus (De modo legendi hebraice, Paris. 1534), Guilielmus Franchi (שמש לשון הקדש, Sole della Lingua Santa, Bergam. 1591. 99. 1603. Alphabetum hebraicum, Rom. 1596.).

2) Elias Levita propterea tantum honorem adeptus videtur, quia genere scribendi faciliori et ingenio nostratium accomodatiori utitur. Quo vero jure dici possit, grammaticam hebraicam inter Judaeos ab isto Elia perfectissime absolutam esse et grammaticos clariores, qui eum secuti sint, nullos esse, hoc non intelligo (Gesenius, Geschichte der h. Sprache §. 32.).

(cui repugnat palaestinensis doctrinae ingenium, Tiberiensium pronunciatio et Masoretarum natura) Lud. Capellum, Jo. Morinum aliosque ad insulsissimas opiniones perduceret. Porro, vixdum ecclesia aliquantulum synagogalis traditionis ac disciplinae in rem suam converterat, Qimchiique *Miklol* tantum intellexerat, quantum sat esset ad compilandum, vixdum Buxtorfii arbores severant, quae alteri posterisque seculis, sedulo irrigatae, prodesse possent: cum exstiterunt nonnulli, qui auctoritatem judaicorum magistrorum respuebant, ut ineptias e cerebellis ipsorum oriundas substituerent, in his *Jo. Forsterus* (m. 1556), Reuchlini (id quod mirere) discipulus, *Samuel Bohle* (m. 1639), et quidam *Bibliander*, qui judicium Lutheri audacius de punctatione recens inventa, bibliis corruptis, judaicisque literis, quas nonnunquam inutiles sive perniciosas esse dicit sine exceptione, prorsus rejiciendis arripuerunt, et, quam ille sententiam in causa Pfefferkorniana tulerat ac quanta modestia ipsi a Qimchiis telam retexendam esse pronunciaverat, ex memoria deposuisse videntur. Ecclesia infans erat linguaeque hebraicae parum gnara, cum propter errores, quos sibi cum lacte nutricis suxisse videretur, semetipsam nutricatione et manuductione ultra non egere opinata est. Et quae linguae hebraicae cognitionem hucusque nonnisi synagogae traditione acceperat, sui juris facta esse sibi visa est eamque linguam, quae sibimet jam legitime esset peculiaris, suapte sponte suoque judicio grammatice tractare et ad scripturae interpretationem adhibere coepit. In quales quantosque errores, in quam vanos inanesque labores hac jactatione insolentius se efferente grammatici nostri incurrerint, acerbum est dictu. Ex hac suae infantiae inscien-

tia, qua linguam hebraicam quasi pridem mortuam miserabiliter attrectabant omnique institutione supersederi posse censebant, orta est systematum hypothesiumque ridicularum magna multitudo, in quas, si synagogae disciplinam pluris fecissent ejusque opera grammatica diligentius scrutati essent, incidere non poterant. Inde in lexicographiam irrepserunt illa in significationibus definiendis ac derivandis vel superstitiosa hariolatio vel dialectica subtilitas, in quam systemata et philosophica et dogmatica tantam vim habuerunt, ut *Santis Pagnini* lexidion clavi *Stockianae* merito praeferas; inde nata sunt arcana illa spissa ac salebrosa, quae per tota secula discentibus offensionem atque fastidium creaverunt, Cubus et Quadratum Grammaticum *Eliae Hutteri* (1590), et systema istuc Morarum, a *Jac. Altingio* (m. 1699) inventum et a *J. A. Danzio* (m. 1727) perfectum, in quo multi usque ad nostram memoriam oleum operamque perdiderunt. Emerserunt inde irritae illae de forma scripturarum metrorhythmica lucubrationes, numerus paene incredibilis accentuologiarum quasi biblicarum, quae ad unum omnia impetu gravia, exitu vana fuerunt. Sed (ne finis hujus tertiae aetatis ulterius transgrediar) asseruisse sat habeo, quidquid hac aetate orthodoxiae grammatica exegesis sanum atque historice comprobatum habuerit, ex synagogae disciplina fluxisse, cetera ipsius arrogantiae deberi. Nec vero negari potest, linguae hebraicae studia in hoc quantulocunque disciplinae synagogalis usu aliquos tamen progressus fecisse. Nam etsi literae judaicae maximam partem consilio polemico tractabantur et valde imperfecta erat in tractantibus intelligendi, nedum examinandi facultas: tamen ecclesia ad earum penetralia quodammodo sibi aditum

aperuit, et qualia quantaque ex iis in usum suum convertere posset, quodammodo sensit. Studium concertatorium luminibus ejus multum offecit, imperitia linguae neohebraicae saepe intelligentiam ejus minuit ac corrupit, historiae et criticae defectus multa incondita progenuit, ac tamen ecclesia, modo haec studia deinceps plane intermissa reputaveris, singularia praestitit nostrosque labores, si telam inchoatam vel retexere vel pertexere velimus, operibus aliquot egregiis, velut Buxtorfianis, adjuvit ac praeparavit. Ad altiorem sane gradum ecclesia etiam hac aetate ascendit, et altiorem etiam insequentibus aetatibus attingere poterat, nisi judaicam traditionem, qui erat solus post reformationem fons hebraicae linguae ediscendae, invento alio fonte, modo neglexisset, modo rejecisset.

Nam inclinante seculo XVI. orsa est quarta studiorum hebraicorum aetas, qua dialecti semiticae et quae praeterea linguarum orientalium romanae ecclesiae missionibus innotuerant, sedulo pervestigari et, ut jam antea graeca et latina, cum hebraismo componi coeperunt; id quod multa doctrina, majori etiam industria factum est in lexico *V. Schindleri* pentaglotto (1612), in lexico *Jo. Fr. Nicolai* harmonico (1670), inprimis in lexico *Edm. Castelli* heptaglotto (1669), multisque in grammaticis harmonicis, in quibus dialectis semiticis vel linguae origine plane diversae, uti persica, adjungi solebant. Haec vero comparatio judaicae traditionis neglectum exsarcire non poterat, praesertim cum externa solummodo esset, conjecturis ex sonorum formarumque aequalitate vel significationum similitudine innixa nullasque ad leges directa. Verum tamen ecclesia hoc primum tempore intellexit, linguarum semiticarum com-

parationem ad hebraicam investigandam praestantissimum esse subsidium, quo quidem uti coeperat synagoga antiquior, carebat magna ex parte recentior. Nam *David Provenzale* tantummodo linguas classicas et romanicas comparavit; *Salomo ben-Melek,* ubi linguam arabicam confert, ex veteribus, *Abulwalido* potissimum, hausit; ceterorum plerique vel traditionem solam amplectuntur, uti *Menahem Lonzano* et *Salomo Jedidja Norzi,* egregii isti artis masoreticae magistri, vel in neohebraismi et aramaismi comparatione, hebraicam linguam plerumque ex semet ipsa enodantes, acquiescunt, in his *Abraham Velmezi (Balmes),* antiquitatis cultor, *Mose Provenzale* et *Mose Lebubi,* qui, praeeuntibus compluribus scholae tum *hispanicae* tum *italicae* [1]) grammaticis, praecepta grammatica versibus complexi sunt, *Imanuel Benevento, Samuel Archivolti, David de Pomis, Juda Carpentorasi, Salomo Oliveyra, Sabatai Premslau, Isaak Samueli Posnani, Salomo Hanau,* quibus neminem nostratium ejus temporis grammaticorum aequiparari posse veritate ipsa coactus profiteor. Multum vero detrimenti ecclesiae attulit, quod in studiis hebraicis persequendis omnem cum synagoga societatem sprevit,

[1]) In his *Rabenu Tam* (m. 1171), cujus nobis relictum est carmen de legibus accentuum ex quadraginta quinque strophis constans, quod exhibet acrostichice nomen *Jakob bar-Mëir*, ms. in bibl. *Ross.* cod. 563. et *Marci Sam. Girondii* (Luzzatto, Prolegomeni p. 28.), cujus in codice praecedit opusculum grammaticum, שערי נקוד inscriptum, quod, sicut ספר ידידות *Josefi Chazan* Trecassini, scholae italicae principia sequitur, theoria *Judae Chajuġ*, uti apud *Salomonem Isaaki,* prorsus ignorata.

id quod inde perspicere potes, quod, qui recens Grammaticae hebraicae historiam perscripserunt, nullum de Judaeis grammaticum ne nominare quidem potuerunt recentiorem isto *Elia Levita*, cujus *Masoret ha-Masoret* vernacule conversum, sed foede videlicet turpificatum edidit (1772) *Jo. Salomo Semlerus*, rabula profecto levissimus. Quid quod exstiterunt etiam, qui, repudiata insuper dialectorum versionumque antiquarum collatione, linguam sanctam tantum lucis in semet ipsa continere censerent, ut lumine aliunde admoto obscuretur magis quam illustretur, in his *Jac. Gussetius* (m. 1704), qui, veterem hebraismum ex sola locorum biblicorum collatione ac studiosa analogiae hebraicae observatione explicari posse ratus, semet ipsum decepit; *Casp. Neumannus* (m. 1715) et *Val. Loescherus* (De causis Linguae Hebraeae 1706), quorum ille singulis literis significationem quandam hieroglyphicam s. symbolicam, hic valorem quendam logicum tribuit. Conclamant, stirpibus linguae triliteris subesse radices biliteras [1] (quas Neumannus characteres significationis, Loescherus semina vocum appellat), earumque significationem ex vi binarum literarum ingenita esse coortam. Haec hypothesis tantopere placuit, ut commentarii ad libros sanctos perpetui exstent, in quibus difficiliorum vocabulorum significatio, singularum literarum potestatibus quasi ad unam summam relatis, perridicule eruitur. At venerabilis est horum virorum error, et quod ex veneratione scripturae manavit, et quia comparationem linguae cum semet ipsa, quod efficacissimum ejus in-

[1]) Vid. *Jo. Engestroem*, Tentamen graduale de Hebraeorum primitivis biliteris, Londini Scand. 1738. 4.

dagandae instrumentum esse divinaverunt, his primis periculis maturaverunt, in eo periclitantes, quod radices indissolubiles et quasi atomos linguae dividere rationesque, cur hoc illudve significent, definire h. e. intima linguae mysteria revelare audebant idque non via historica, h. e. ab externis (quae vix degustaverant) ad interiora penetrantes, sed ideali, h. e., facta ab interioribus, quae suis conjecturis assecuti esse sibi videbantur, ad externa praecipiti conclusione.

Contra *Gussetium*, qui comparationem interiorem ad coelum extulit, et contra *Jo. Drusium* (m. 1616) omnesque omnino eos, qui literas judaicas ad scripturas intelligendas aliquid valere existimaverant, exstitit *Alb. Schultens* (m. 1750), scholae belgicae auctor, a quo ex nostra notatione quinta studiorum hebraicorum aetas exorsa est. Hic quasi furiarum taedis ardentibus traditionem synagogalem adortus est, et omnes, qui ei faverent, contagium contraxisse pronunciavit; hic non oratione vehementi, sed tonitruum sonitu fulminumque jactu prosternere conatus est eos, qui, teterrimo synagogae errore imbuti, linguam hebraicam sacram ac supernaturalem et vel characterem ejus sanctum ac priscum esse contenderent. „O incredibiles excessus (sic exclamat in Praef. ad Gramm. Arabicam), in quos magna etiam ingenia, fulgore *Linguae et Scriptionis Sanctae* delusa, abierunt! O tristia, adhuc quidem, fata literaturae hebraicae! quae ex longa captivitate per reformationem sacrorum educta, graviora mox sentire coepit vincula, atque sub *Rabbinorum* auctoritate avecta est in Babyloniam judaicam, ut *Christianorum* quoque doctorum opera ac manu commodis subserviat synagogae in *Epha* sua“. Quas Philippicas ferrem, si errores majorum vere reprobandos coarguisset et a

Judaeis non descivisset ad *Moslimos.* Etenim inter linguas orientales, quae, primum grammatice et lexicographice cum hebraica compositae, indies magis ad hebraicam explanandam atque enodandam adhibebantur, principatum occupavit arabica, quae cum scriptura sacra studiorum omnium scopus esse paullatim desineret, multos ardentissimis amoribus inflammare coepera. Adamarant eam, quidni? modo videndum istis erat, ne filiam pulcram, cujus venustate fascinati erant, matri sanctae manciparent. At Alb. Schultens tam caeco amore pro linguae arabicae dignitate atque auctoritate propugnavit, ut eam hebraica luminosiorem clamaret eandemque aetate multo minorem illustrationisque potius ex hebraica egentissimam esse non videret; quam ejus temeritatem magni errores consecuti sunt, quos paene incredibili modo auxerunt asseclae. Est enim praetermissum ac neglectum, in aetatem et originem linguae arabicae inquirere et, posita hebraismi originali necessitudine, indolis utriusque linguae dissimilitudinem ponderare, ut inde accuratius definiretur gradus, in quo linguae arabicae ad hebraicam explicandam utilitas esset collocanda. Deinde Hebraistae illi arabizantes, qui arabicam linguam demoriebantur, non agnoverunt, lexicographiam arabicam tetris tenebris circumfusam esse, quae ne nostris quidem temporibus, quibus hebraicae linguae benignior fortuna affulsit, dispulsae sunt. Sic factum est, ut lingua arabica, multo illa aetate minor multoque tractantium culpâ tenebricosior, cujus grammatica usque ad *Ewaldum* et lexicographia usque ad hunc diem mere empirica fuit, ad reseranda linguae sanctae penetralia instar claviculae Salomonis haberetur. Quae quidem prava linguae arabicae inconsiderate

conferendae consuetudo in lexicographia hebraica atque exegesi V. T. penitus insedit adeoque inveteravit, vix ut aetate nostra exstirpata sit. Sed tamen inficiari non poteris, vel in hoc qualicunque linguae arabicae usu hebraicorum studiorum progressum esse conspicuum. Albertus Schultens, uti scholae ʽυπεραραβιζούσης auctor, sic etiam parens studii linguae hebraicae comparativi, quod ab harmonico superioris aetatis valde diversum erat, censendus est, et egregie sane, „ut studia illa", inquit, „tantum non intermortua revigescant atque ad laetiores usque et usque fructus exuberent, non limina tantum dialectorum salutanda, non in atriis subsistendum, sed ad penetralia ipsa connitendum, ut per illam interiorem et solidiorem notitiam tum earundem harmonia dilucescat, ac vere sororia connexio, qua unum idemque corpus linguae primaevae constituunt atque repraesentant, tum hebraicae dialecti nativa indoles cum veteri opulentia et dotibus admirandis super candelabro refulgeat ecclesiae, atque laeta luce, quidquid adhuc obnubilatum, disserenetur." Quem finem laudabilem consectatus est, assecutus non item; nam, nullo inter comparationem dialecticam et exoticam discrimine posito, vel dialecticam terminis arabicae linguae angustioribus circumscripsit, chaldaicam plane neglexit et Judaeorum commentariis raro usus est, quos discipuli ejus, a sola lingua arabica oraculum petentes, plane intactos reliquerunt.

Quodsi in aetates studiorum hebraicorum, quas breviter descripsi, retro respexeris, nullum adjumentum ad linguae hebraicae inquisitionem non inventum, nullum non usurpatum videbis, ita tamen, ut multis cum erroribus consociata esset prima periclitatio. Usum eorum subsidiorum inchoatum reperies, sed

plerumque in abusum perversissimum commutatum. Majores nostri (quorum memoria honore multo ampliori, quam quem doctrina tribuit, consecrata est) reliquerunt nobis sempiterna ingentis eruditionis et stupendae industriae monumenta, multos fontes nobis aperuerunt, progressus, qui deinceps vel facti sunt vel fieri poterant, praeparaverunt, multa praesagierunt, et, quod minime spernendum est, eorum erroribus, quae nobis sint devitanda, edocti sumus, at, si investigationis linguae hebraicae fundamenta ab iis jacta putares, superstitiosa antiquitatis veneratione fallerere. Nam qui traditionis auctoritatem, comparationis interioris leges, dialecticae cautiones, exoticae fines et, quod caput est, horum adjumentorum necessariam conjunctionem legalemque temperationem non nossent, investigationem linguae fundavisse dici non possunt. Exsistit nunc quaestio, sexta, quae sequitur, aetate quid praestitum sit. Hac aetate et dialectica et exotica comparatio amplificata est, ita tamen, ut semper arabica lingua aramaicis praevaleret et neohebraica prope prorsus negligeretur. Judaicarum literarum usus plane intercidit et a nonnullis, veluti a *Jo. D. Michaelis* (m. 1791.), qui in verbis arabicis inculcandis atque etiam Alexandrinae obtrudendis plane praeceps est ac devius, vel odiose exagitatus est. Etymologia etiam hac aetate certis legibus adstricta non est, et quo latius indies orientalium literarum fines prorogati sunt, eo longius latiusque vagabatur, eoque major ingeniolo ostentando patebat campus. Negari tamen non potest, studia hebraica hac aetate aliquantum soliditatis ac firmamenti esse adepta. Exstiterunt enim triumviri, qui de hebraicae linguae cognitione perficienda praeclare meriti sunt, ***Guil. Ge-***

senium dico, *Herm. Hupfeldum* et *Henr. Ewaldum. Gesenius* grammaticam, quae et schematismi implicatione et dictionis asperitate discentes absterrebat, planissime explicuit, confusam antea disposuit pellucidaeque orationis lumine ornavit; primus etiam sobriam latiusque patentem ceterarum linguarum collationem instituit, qua, cum saepissime in errores inciderit, saepiuscule tamen quasi futurorum quodam augurio vera praevidit; primus in lexicographiam hebraicam ausus est linguam sanscritam introducere, cujus studiis evigilantibus recens vita non solum classicas, sed etiam semiticas linguas penetraverat. Idem e lexicographia philosophiam exturbavit, quam tamen subinde, rationalismi persona indutam, postliminio rediisse videbis; idem, erroribus scholae belgicae, si non semper declinatis, tamen intellectis, in lingua arabica comparanda mediocritatem illam, quae est inter nimium et parum, consectatus est, et, quamvis judaicae traditioni justo infestior esset, multa tamen de libris grammaticis Judaeorum arabice scriptis, *Abulwalidi* potissimum, ad lexicographiam magna cum utilitate perduxit. *Hupfeldus* autem, cum comparationem linguarum adhuc conjectura magis, quam consecutione nisam esse videret, doctrinam de literis earumque sonis acrius examinavit in Exercitationibus Aethiopicis (1825.). Idemque in dissertatiuncula de emendanda ratione lexicographiae semiticae (1827.) tum Neumanni et Loescheri tum Schultensii studia momentis suis ponderavit et, quod libenter agnoscimus, iapeticarum quoque linguarum analogiam, religiose servata dialecti uniuscujusque et universi semitici generis proprietate, consulendam esse pronunciavit rejectoque trigrammatismo, radices verbales paucioribus ex ele-

mentis constare et deinde ad stirpes prosthesi, epenthesi vel paragoge auctas accrevisse [1]) intellexit. At ibidem res duas sine aliqua probabili ratione proposuit, primum, ex formarum congruentia consequi radicum potestatumque aequalitatem, deinde radices numero binarum literarum, quae plerumque onomatopoëtice coaluerint, esse adstrictas; quorum et hoc et illud linguae sanscritae comparatione cum hebraica concidit. *Ewaldus* quoque, qui disciplinae Gesenii empiricae gravis adversarius factus est, hebraicis studiis (id quod grate profitemur) plurimum praestitit. Etenim studiose in naturam linguae inquisivit, in qua legem, non casum regnare jure contendit; doctrinam de sonis literarum ab Hupfeldo praeclare inchoatam amplificavit, et, in superficie linguae haerere nolens, basin ejus in occulto latentem eruere ausus est. Leges igitur linguae hebraicae non extrinsecus aliunde quaerendas, sed ex ipsis visceribus linguae sumendas ratus, ad illustrandam hebraicam linguam, quam per semet ipsam studiis singularibus dignissimam judicavit, lumen adhibuit rationis, per quam principia et causas eorum, quae in sensus cadunt, intueretur, consequentia perspiceret atque animam, quae linguam gerat ac moderetur, quasi aperto ac patefacto linguae corpore, observitaret: quare scholam ejus, cujus placita *Ferd. Hitzig* ad interpretationem sacrae scripturae traduxit, rationalem appellare et tum empiricae tum historicae eo nomine opponere consuevimus. At Ewaldus, uti grammaticam ab opinionis arbitrio, con-

[1]) Hanc conjecturam complures jam occupaverunt, velut *Mat. Norberg* in Opusc. II, dissert. 15. et 16. (de verbis nudis et auctis Graecorum).

jectionis fortuna et antiquitatis quasi dictatura sejunctam primus scientia comprehendit, ita nimium philosophiae isti favit, quae magis platonico more ab ideis s. speciebus cogitatione informatis ad rerum sensualium investigationem delaberetur, quam ab hac ipsa aristotelico more ad naturas causasque rerum ascenderet. Ewaldus tantopere philosophatur, ut, cum grammaticam ejus criticam legis, saepe quasi per daedaleos labyrinthos corde trepidans rapiare; stylus ejus multi sudoris est, majoris etiam ejus inquisitio. Sudandum est tibi, ac si Parmenidem Platonis legas; et, si aurum, quod hac mentis inflammatione lucratus esse tibi videris, ad obrusam h. e. historiam, experientiae magistram, exegeris, adulterinum subinde esse intelliges. Adeo iste, omissa omni commemoratione antiquitatis, linguam hebraicam suo ingenio integram reservatam opinatur, traditionem synagogalem prorsus praetermittit, grammaticam judaicam quasi linguae dudum mortuae exsanguem *τεχνολογίαν* aspernatur, linguamque ex semet ipsa, nimirum missis iis, quae veteres elaborarunt, suae rationis viribus fretus, explicare satagit. At recentiori memoria et ipse linguam sanscritam cum hebraica conferre coepit, sed illam ab hebraica magno discrimine semotam docet et disclusam, quod, si altius in utramque penetraveris, paene totum evanescit. Nec vero hoc loco *Franciscum Boppium* praetereundum arbitror, linguae sanscritae et indogermanicarum, quae ex ea prognatae sunt, sagacissimum investigatorem, in quo illustre et eruditione immensa ornatum ingenium *Guilielmi de Humboldt*, ut in haerede ejusdem gloriae dignissimo, Germaniae superstes factum est. Is lucubrationibus suis indogermanicis, praecipue in Grammatica comparativa

(1833. 53), literarum naturis ac vicissitudinibus uberrima exemplorum indogermanicorum prolatione expositis ac confirmatis, receptaque Humboldtiana radicum verbalium, nominalium et pronominalium distributione, quae solis instar grammaticae omnium omnino linguarum illuxit, in sanscriticis linguis demonstravit, quid reliquum esset, ut in semiticis praestaretur. Is grammaticae dispositionem optimam praescripsit, viam comparationis, qua sola linguae peculiaris rationes et causae inveniuntur, munivit, et quamquam linguas semiticas, quarum cum sanscriticis convenientiam et necessitudinem naturalem nondum persuasam habebat, comparatione exclusit, tamen sanscriticas analysi solertissima ad comparationem cum semiticis instituendam praeparavit, et, ut imagine utar, nymphagogum egit, qui linguam sanscritam quasi sponsam, amicarum corona cinctam, ad semitismum deduceret. Atque etiam *A. F. Pott*, cujus eruditionem an industriam prius admirer nescio, studia scholae historice analyticae mirabiliter adjuvit, qui, quamvis in comparando saepius extrema persequatur et individua articulatim divellat, uberrimos tamen comparationis solertissimae fructus sui etymologici operis (1833. 36) horreo condidit, radicesque sanscritas, quae extra omnem dubitationem positae essent, ad similitudinem operis *Roseniani* [1]) dispositas, numero CCCLXXV. recensuit, quarum nullam non simul semiticam esse *Julius Fuerstius* partim evicit, partim evincet.

Namque in *Julio Fuerstio*, quem meum et familiarem et magistrum esse glorior, nova hebrai-

[1]) Radices Sanscritae. Illustratas edidit *Fridericus Rosen*, Berolini 1827.

corum studiorum aetas orsa est, quam si auream appellare dubitaveris, aureae certe proximam esse concedes. Quod quo jure concedi oporteat, deinceps demonstrabo. Fontes, ex quibus omnibus quique aetatibus sibi praesidia ad hebraicae linguae cognitionem petierunt, tres sunt, traditio, comparatio et philosophia, naturae, ut pollicetur, interpres: quae subsidia adhuc neque ullo tempore prorsus disjuncta neque unquam unam in speciem aequabiliter temperata sunt. Unum semper, neglectis reliquis, praevaluit, velut in synagoga talmudico tempore traditio, medio aevo dialectica comparatio, recentiori memoria philosophia, quae in multis falsam linguae contemplationem et pictam, ut dicitur, grammaticam genuit; in ecclesia primum traditio a synagoga accepta, in qua sola hebraicae linguae notitia, quam doctores ecclesiae habebant, usque ad seculum XVII. posita erat; deinde comparatio, primum harmonica, deinde etymologica et dialectorum et exterarum, quae paulatim innotescebant, linguarum; denique philosophia (cui schola rationalis impense favet), quae, spreta traditione, minoris etiam facto altero principio cognoscendi, adhibito rationis lumine arcanam linguae hebraicae fabricam explicare conata est. Haec subsidia schola historice analytica pro portione ita conjungit, ut earum necessitudine consensus concentusque efficiatur ad hebraicam linguam investigandam fructuosissimus. Historicam se nominat, quia a traditione, judaica potissimum, quae, multas res sola recludens [1]), monumentis judaicarum litera-

[1]) Eo pertinet doctrina de notis vocalium, de signis diacriticis et de accentibus (quae omnia nomine signorum masoreticorum commentitio solent comprehendi). Hanc doctrinam,

rum amplissimis consignata est, investigationem tanquam a primis initiis proficisci vult, et quia unitatem tum formalem tum idealem hebraicae linguae cum ceteris sex veterum linguarum familiis historice evincendam legemque linguae unamquamque historice inveniendam arbitratur, h. e., linguae cum semet ipsa, cum dialectis et cum ceteris linguis, in quibus sanscritae palmam dat, comparatione. Analyticae autem nomen sibi sumsit, quia, cum linguam non fortuita caecaque velut atomorum concursione, sed divina quadam providentia idearum in vocabulis fictrice et moderatrice coaluisse ponat, accidentalia a necessariis, dividua ab individuis, nativa ab insitivis,

utpote mere historicam et traditionalem, nondum quisquam grammaticorum nostrorum satis docte ac luculente pertractavit; *Ewaldus* certe (Abhandlungen der orientalischen und biblischen Literatur 1832 p. 130 ss) nil nisi sagaciter philosophatur, auctoribus, ut solet, adhibitis nullis, textu recepto (cujus accentuatio passim mendosa est) propriaque concludendi solertia nixus. Rectam viam primi inierunt *G. Riegler* et *A. Martinet* (Hebräische Sprachschule 1835), qui quidem ex opusculo Heidenheimiano, non philosophico illo, sed toto historico, hauserunt. *Benjamin* enim *Heidenheimius* (m. 1832), quo aetas nostra non tulit quemquam masoreticae artis experientiorem, in libro suo de legibus accentuum (משפטי הטעמים Rödelheim 1808) ad doctrinam hanc historice fundandam et explicandam praeter ea, quae Masora ipsa significat et praeter magnam Codd. copiam, quos critice adhibere bene sciebat, usus est antiquissimis ea de doctrina popularium suorum operibus, veluti מחברת בן־אשר, auctore, ut dicitur, *Ahărone ben-Aser* Tiberiensi, libello comparibus rimatis scripto; טעמי מקרא, auctore *Ibn-Bileamo* Hispano, שער הנגינות *Mosis Nagdani*, lexico *Salomonis Parchon* etc. Egregie eadem de re nuper scripsit *S. D. Luzzatto* in Prolegomenis (Patav. 1836), qui historica grammaticae hebraicae cognitione nostratibus multo antecellit.

radices a stirpibus, ramos a tegmine foliorum, stamen a subtemine, ut secernat, enititur, idque ope analysis ad certam rationis normam directae, quam si scite exercueris, intelliges, primam omnium antiquarum linguarum materiam esse quandam radicum triadem, numero, forma, significatione consentientem, aeque flexibilem et commutabilem, per eas linguas communiter intentam et commeantem, ex qua omnes earum opes ac copiae fluxere, ex qua, quantiscunque vocabulorum divitiis diffluant, omnia expresserunt atque effecerunt, vel in formatione ac propagatione varia leges communes secutae. Hac analysi cum semitismum unam linguam esse intelliges, cujus trigeminae propagines stirpi eidem innituntur, tum vero etiam sanscritismum ei quasi tribus paribus lateribus triquetrum respondere. Quae vero schola rationalis dictitavit, structuram semitismi simpliciorem, immutabiliorem et constantiorem esse, quam sanscritismi perfectius exculti; porro, semitismum per formationem radicum, quae fit partim sola vocalium interna vicissitudine, partim externa incrementorum inseparabilium accessione, sanscritismum contra etiam compositione vocabulorum dissolubilium propagari, quorum notiones vel subordinantur vel coordinantur; tum semiticas linguas sanscriticis in propagatione radicum verbalium et vocalium copia et legis aequabilitate praestare; denique in his radices verbales compositione magis spiritualiter, in illis conformatione magis corporaliter amplificari — haec, analysi illa instituta, vana et confusa esse reperiuntur omnesque semiticarum linguarum tum virtutes tum defectus ad nihilum recidunt. Praetereo hoc loco alia inventa Julii Fuerstii, quae ad investigandam linguam plurimum valent, veluti vanitatem verborum ע״ע et ע״ו, quae grammatici

arabizantes post *Menahemum Ibn-Saruk* in gratiam trigrammatismi radicum verbalium introduxerunt; vocalismum literarum א, ה, ע, quo posito sat multum discriminis inter linguas semiticas et sanscriticas concidit; doctrinam de praepositionibus verbalibus, quas per totam linguam constanter permeantes nemo dum agnovit, et de praefixis clausulisque nominalibus, quas vix quisquam antea divinavit, sanscriticarum illis linguarum cum semitismo communibus; divisionem verborum in vocaliter exeuntia, cava et perfecta [1]) et conjugationum in fundamentalem, intensivam, extensivam et reflexivam; radicum denique pronominalium, quas grammatici antehac a verbis insulsissime deducere consueverunt, originalitatem — quae omnia, prout res postulabit, deinceps persequar sigillatim. Id unum liceat adjecisse, quibus adhuc laboribus Jul. Fuerstius ad principia scholae historice analyticae, cujus eum auctorem esse dico, demonstranda, exercenda, perficienda perfunctus sit. Primum igitur se accinxit, ut chaldaicam, quae dicitur, linguam, quippe quam a plurimis despectam tetrisque tenebris occultatam videret, semiticarum dialectorum antiquissimam, in lucem protraheret, ut ejus cum ceteris linguis orientalibus societatem devinciret atque in ea, utpote lucidissimo exemplo, sanscritismi et semitismi necessitudinem consanguineam monstraret. Edidit igitur *Systema Linguae Chaldaicae* (1835), opus existimatorum omnium (in quibus sat habeo Guil. de Humboldt nominavisse) plausibus exceptum, quo non solum chaldaica lingua, sed etiam hebraica splendidissime illustrata est. Insecuta est chrestomathia ara-

[1]) פעלים שלמים, נבובים וקצוצי פיאה

maica, *Charuze Peninim* inscripta (1836), qua non solum principia scholae historice analyticae contra impetus Ewaldi vindicantur, sed etiam doctrina de praefixis verbalibus, cujus nonnisi semina operi superiori mandata sunt, exemplis plurimis confirmatur [1]). Absoluta chrestomathia Fuerstius *Concordantiis Buxtorfianis* denuo edendis totum se dedidit, magno profecto operi et arduo, praesertim cum ingenium editoris progressusque nostrae aetatis non ferrent, vetera et maximam partem obsoleta renovare, quin simul, quae praeclare a majoribus inchoata essent, maturiori doctrina perfecta multiplicique decore cumulata apparerent. Additum est igitur Concordantiis lexicon hebraicum et chaldaicum, quo non posse supersederi viderunt jam *Isaak Natan* (1445), *Jo. Buxtorfius* (1632) et *Marius a Calasio* (1662), neohebraice illud scriptum idemque, nonnullis vel adjectis vel omissis, latine expressum, quo significatio uniuscujusque vocabuli eruitur, consequentibus deinceps scripturae sacrae locis, in quibus occurrit, idque ea ratione, ut, respecta patria avitaque traditione, primum etymon sive radix sanscritosemitica, deinde additamenta formativa, quae radicem propagant ejusque vim varie distingunt, non conjecturali via, sed certas ad leges investigentur; tum adhibito vocabuli usu multiplici, quo in monumentis literarum hebraicarum crebrius rariusve usurpatur, significata ejus varia, quotquot ex communi ejusdem etymi fonte promanant, non tam logice dispertita, quam historice ordinata enumerantur, et complura adjiciuntur,

[1]) Utrumque horum librorum suis ponderibus examinare conatus sum in *Jahnii* Annalibus philologicis et paedagogicis 1836. p. 379 — 392.

quae ad grammaticam vocabuli flexionem, ad synonymorum dissimilitudines, ad notationem temporum, quibus vocabulum tritum, novatum aut hac illave singulari vi usurpatum est, tum denique ad prosae poësisque discrepantiam illustrandam pertinent. Hoc in lexico auctori potior fuit pars etymologica, quam exegetica, quae in lexicon volumine amplius differenda esse videbatur. In illa vero parte plane eximiâ pauca invenies, quae aliunde sumta grate fatemur, nihil quod, priusquam reciperetur, non sit denuo examinatum novâque, ubi necesse esset, pictura interpolatum, plurima autem, quae primum novitate animum tuum percellent, postea veritate mirifice delectabunt. Necesse est tamen, ut cum textu lexici latino conferas neohebraicum, in quo uberrimam synonymorum compositionem, perpetuam neohebraici aramaicique sermonis collationem et congruentem novis progressibus dictionem deprehendes, cujus brevitas Ibn-Ezram, copia Salomonem Papenheimium, libertas Elazarum Qalir Sardoum, quoad rebus congruit, aemulatur. Quae quidem dictio, ut durior et difficilior, displicebit multis neotericorum, qui, hujus seculi doctrina ac moribus a genere dicendi hebraico abalienati, nonnisi priscum hebraismum exemplar scribendi sibi proponunt ceterasque linguae gazas aspernantur et perhorrescunt; at si modo ei dictioni assueveris, eam ingeniose novatam, subtiliter limatam gemmisque clarissimis distinctam agnosces. Haec de Concordantiis, quae investigationem gradatim progredientem repraesentant: quo labore exantlato, Lexicon hebraicum, dudum illud inceptum majorique etiam cum subtilitate, distinctis radicum verborumque simplicium, amplificatorum et compositorum varietatibus, dispositum ad finem perducatur et Grammatica consequetur, quae

quidquid disquisitionibus prioribus, omni dubitatione sublata, inventum est, oratione plana et evidenti comprehendet. — —

His septem aetatibus breviter a me strictimque descriptis scientia hebraicae linguae inchoata, completa, perfecta est; quas si scalarum gradibus compares, nos primum et altissimum obtinere, inficiari vix poteris. Nullo enim tempore patuit nobis tam latus liberque in linguas terrarum orientalium prospectus, quam qui nostra memoria se aperuit. Sumus quasi in specula collocati, ex qua in gentium remotissimarum linguas prospicere ac prope omnes contemplatione complecti possumus. Ex quo tempore in lingua sanscrita matremfamilias venerandam et in aramaica prolis ejus materteram agnovimus, in hebraicae quoque familiaritatem penitus intrare coepimus. Divina providentia factum est, ut nostra aetas, quae semetipsam detestabili scripturae sacrae despicientia inquinavit, subsidiis ad ejus intelligentiam plurimis affluat, quae majores nec habebant et haberi posse vix divinabant; unde, si recte auguror, consequitur, nunc sementem fieri frugum in posterum metendarum, quarum maturitas neque dum venit, et tamen jam, nives divina gratia liquefactas eluctans, licet omnes in eam calamitates impendeant, appropinquat. „Plus ultra vocamur," inquit doctor ecclesiae nostrae egregius, „ad eam in scripturis facultatem, quae sit virilis et regalis, perfectionique scripturae satis prope respondeat." O si approperaret illud tempus, quo doctrina fidei progressusque omnes ecclesiae ministrabunt, quo omnes ad verbum divinum scrutandum, cujus oceani vix guttulae aliquot exhaustae sunt, collineabunt! Jamjam auroram diei

illucescentis e tenebris coruscantem conspicere mihi videor. Omnes aliquando linguae linguam sanctam corona sua cingent, et hanc, sicut manipuli illi *Josefi* manipulum, consalutantes se inclinabunt; omnia studia verbum divinum suis luminibus circumdabunt, et circa hunc solem lucidis continuisque cursibus circumferentur.

LIBER SECUNDUS

(De traditione linguaque hebraicae comparatione interiori ac dialectica).

LIBER SECUNDUS.

Investigatio linguarum opus est tam utile quam jucundum. Nam si linguam non solum addiscere, verum, cum addidicisti, etiam perscrutari studeas, si in superficie externa persistere nolis, sed ad intimam ejus naturam penetrare contendas, mysteria magna, quae revelare non poteris, adspicies, admirabere, stupesces. Est quidem lingua quaelibet aliquid sensibus percipiendum, externum, finitum, at omnibus communiter subest quiddam incomprehensi, arcani atque infiniti, a quo dignitatem suam accipit indagatio. Haec, quidquid in lingua dissolubile atque dividuum est, dissolvit eaque dissolutione ad initia et tanquam semina abscondita, ex quibus lingua prognata et concreta est, descendit. Ista linguae elementa, quae analysi inveniuntur, tam pusilla sunt, ut haec corpuscula minuta ulterius dividere extimescas, et tamen non sunt tam individua et simplicia, ut ea ex partibus simplicioribus coaluisse divinare non queas. Etenim nonnullis in exemplis investigationem eo usque persequi potes, ut singulae literae remaneant et vel hae tam mire variantes, ut sonum fundamentalem subesse jure conjicias [1]. Hae

[1]) Infra demonstrabitur, quendam radicum numerum una tantummodo consona constare, cui quo pronunciari queat, ad-

vero linguae quasi monades quo vinculo cum notionibus, quas repraesentant, conjunctae sint, simplices cum simplicibus, compositae cum compositis, quis dixerit! Si solveris magnum illud aenigma, quomodo Deus cum mundo, quem creavit, animus cum corpore, quod movet ac regit, cohaereat, etiam hoc aenigma illius simillimum solvere poteris. Sermo enim origine sua profecto d i v i n u s est, et in Deo prototypum suum aeternum, temporis locive limitibus non circumscriptum habet, quandoquidem homo ad Dei factus est imaginem. Qui cum mundum terminis temporis ac loci comprehensum voluntate sua creatrici produceret, indidit huic mundo animas rationis participes, ad simulacrum divinitatis suae procreatas, in his hominem, cujus corpori ipsius manibus formato inflavit a n i m a m imagine sua divina signatam. Huic duo objecta cognoscendi proposuit, semetipsum h. e. Deum invisibilem atque aeternum, et universitatem mundi visibilem, sensibus subjectam, qua ad creatorem quasi scalarum gradibus ascenderet. Ad utraque cognoscenda largitus est animae v i r e s ac l e g e s appercipiendi ac producendi, quasi omniscientiae atque omnipotentiae suae umbras infinitarumque legum, quae in ipsius natura positae sunt, quantum in natura c r e a t a ac f i n i t a fieri poterat, lineamenta. Uti igitur ipse ab omni aeterni-

dita est litera vocalis (בָּא == בָּ, β—αἰνειν), et vel hanc consonam varie immutari, ita ut radicis exemplar maneat tamen idem (דָּא, זָא, טָא, סָא, צָא, شا, sanscr. dhu, *θύ-νειν*); quid quod linguae sanscriticae radicem *i* (i-re, unde sanscr. ê m i, e-o, *εἶ-μι*) exhibent una litera vocali constantem. Nonne investigatio, si fines nullos agnoscit, necessario ad hypothesin *Neumannianam* delabetur?

tate *λόγον* generat, suae naturae perfectissimum atque hypostaticum exemplum, sic etiam animae humanae non solum facultatem dedit cogitandi, sed etiam cogitationem exserendi, h. e. sermonem, qui animae humanae *λόγος*, ut effigies ectypa, omnes exemplaris sui secundarii h. e. animae qualitates participabat. Neque generatio sermonis per animam arbitraria erat, sed necessaria, naturae animae ac corporis perfecte consentanea, ipseque sermo proinde, si ad originem rerum redis, unus erat, divinae imaginis divina imago. Finitus quidem ac mutabilis erat, uti anima, unde promanabat, sed non minus virtutes illas divinitatis simillimas exprimebat, quibus praestabat parens ejus numinis divini afflatu procreata. Haec vero lingua primaeva, quae animae divinitus oriundae, tanquam imago, resonabat, cum imagine divina peccato amissa simul interiit, sed non confestim, ut ne mors quidem corporalis peccatum illico insecuta est, sed paulatim, ut videtur, usque ad confusionem illam linguarum in campis babylonicis [1]), qua, quidquid primaevae linguae superstes erat, novo peccato superaddito, jure talionis ab hominibus ablatum est.

Haec de linguae primaevae statu ac disperditione scriptura sacra vel tecte innuit vel aperte tradit, experientia ipsa magna voce acclamante. Namque investigatio linguarum multis rationibus et argumentis confirmat, primum, fuisse linguam unam origine principem, quae, cum anima a veritate unica ad errores multiformes descivisset, et ipsa disperiit, in

2) שִׁנְעָר (Philo I p. 415 M. = *ἐκτιναγμός*, ad simil. f. שעבוד, שבלול, שלהוב, plane uti Palaestinenses, Gen. Raba XXXVII. §. 5.).

augescentem linguarum multitudinem diremta, quibus inter se collatis ad caput linguae primaevae, historicae illius et nequaquam cogitatione informatae, sat multis vestigiis pervenire ejusque pulcritudinem ac veritatem, quasi ex late diffusa vesperae purpura solis occasi fulgorem, augurari possumus; deinde, sermonem, si ad antiquissima tempora respicis, non a rudi infantia inconditaque ὀνοματοποιήσει ad culturam politiorem dictionemque rationi convenientiorem progressum, sed vicissim a pristina coagmentationis subtilitate vocabulorumque cum notionibus interna congruentia ad magis externam in componendo agglutinationem consuetudinisque abusum delapsum esse, id quod, inspectis veterrimi sanscritismi et semitismi compagibus, apparet; denique linguas omnes a legibus necessariis proficisci, quae cunctis ejusdem originis communione communiter subsunt, sed multum deinceps fortuiti ac consuetudine sanciti assumsisse, quod ad leges internas exigi non potest, sed aliunde explicari oportet; qua in re scholam rationalem saepenumero falsam esse animadvertimus. Indidem apparet, mera conjectura duci eos, qui suspicantur, hebraicam linguam primaevam illam esse ac primigeniam, matrem ceterarum linguarum, quae dispersione ortae sunt, superstitem: quae sententia, quantumvis nullo scripturae indicio, nedum testimonio fulta, a synagoga [1]) patribusque ecclesiae in gratiam Veteris Testamenti ea lingua consignati recepta ac defensa est. Plane vero insulsa est Theodoreti,

[1]) Postremo hanc sententiam studiose defendit, quod mirere, *Moses Mendelssohn* in Prolegg. doctissimis ad Pentateuchi editionem *Or li-Netiba* inscriptam; cf. *Gur Arje* p. 9. 19. Augustin. de Civit. XVI, 1.

episcopi Cyri (420 — 423), opinio, qui cum aramaicam linguam semiticarum antiquissimam esse casu et fortuitu intellexisset [1]), **hebraicam** non populo innatam, sed disciplina divina a Mose acceptam contendit. Quin potius ex scripturae testimonio et experientiae assensione elucet, linguam primaevam in ceteras recens ortas ita dispersam disseminatamque esse, ut, licet specie externa longe diversae multumque pronunciatione, conformatione, ingenio disjunctae ac dispares sint, omnes tamen vinculo cognationis consanguineae contineantur. Etenim omnes eidem fundamento superstructae sunt, omnes iisdem radicibus stirpibusque innituntur, omnium subtemina stamini eidem sunt inserta. Est fons idem, ex quo multa in brachia diffusae omnes fluxerunt; semen idem, quod longe lateque sparsum omnes, utcunque forma, calore habituque externo variantes, vi ideaque sua insita

[1]) Quaest. in Genesin X, 60. *Ποία γλῶσσα ἀρχαιοτέρα;* ubi nmm. *Ἀδάμ, Κάϊν, Ἄβελ, Νῶε* syriaca esse dicit, nempe quia Antiochenus erat. Certum est tamen, ea nmm. cum ceteris in Genesis principio commemoratis eodem jure aramaica, atque hebraica dici posse, id quod evincere studuit S. D. Luzzatto, Proleg. §. 58, n. 2. 3. Ib. 61. *Οἶμαι αὐτὴν ἱερὰν εἶναι φωνήν. ὥσπερ γάρ ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοί τινες ἦσαν χαρακτῆρες γραμμάτων, οὓς ἱερατικοὺς προσεγόρευον· οὕτω διὰ τοῦ Μωσέως ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ταύτην ἔδωκε τὴν γλῶτταν, διδακτὴν οὖσαν, οὐ φυσικήν. τοιγάρτοι τῶν ἄλλων ἁπάντων κατὰ τήν τῶν ἐθνῶν ἐν οἷς ἂν γεννηθῶσι φθεγγομένων φωνήν· καὶ τῶν μὲν ἐν Ἰταλίᾳ τικτομένων, τῇ Ἰταλῶν κεχρημένων· τῶν δέ ἐν τῇ Ἑλλάδι τῇ Ἑλλήνων· καὶ τῶν ἐν Περσίδι τῇ Περσῶν, καὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ τῇ Αἰγυπτίων· τὰ Ἑβραίων παιδία οὐ τῇ Ἑβραίων ἐστὶν εὑρεῖν εὐθὺς κεχρημένα φωνῇ, ἀλλὰ τῇ ἐκείνων παρ' οἷς ἐγεννήθησαν· εἶτα μειράκια γενόμενα διδάσκεται τῶν γραμμάτων τοὺς χαρακτῆρας· μανθάνει δὲ διὰ τῶν γραμμάτων τὴν θείαν γραφὴν, τῇ Ἑβραΐδι γεγραμμένην φωνῇ.*

progenuit. At prout quaeque fonti capitique isti communi propior est aut ab eo remotior, prout immediate aut mediate a lingua primaeva initium duxit, h. e., quo quaeque lingua antiquior est incorruptiusque conservata, eo purius integriusque basin primaevae linguae, cujus quasi tecta, tabulata ac parietes ruinas magnificentissimas ediderunt, nobis ostendit, eo fidelius formam ac speciem linguae primaevae, perfectam illam et mirabiliter compositam, quasi caput praxitelium aut truncus myroneus statuae deperditae venustatem, repraesentat, eo evidentius nos docet, protoplastos Dei, quam simiae fuisse similiores eorumque linguam non tam ululatibus ferarum respondisse, quam composito illi sibique consentienti modulamini, quod de sphaeris sonare veteres mytho dulcissimo et sapientissimo finxere.

Falluntur igitur, qui unam de linguis exstantibus, quaecunque est, primaevam ceterarumque parentem esse dicunt; quem honorem qui hebraicae attribuunt, pietate erga scripturam sacram superstitiosiores sunt qnam religiosiores, uti dudum suspicatus est Gregorius, lumen Nyssenorum (372) [1]). Certissimum vero est, nullius linguae tam prisca monumenta extare, quam hebraicae, qua revelatio divina in usum humani generis decursu temporum consignata est. Nam sacrae *Indorum* linguae monumenta vetustissima vix aetatem sancti Chronistae (c. 312) attingunt, et istuc doctrinae parsicae corpus, lingua zendica,

[1]) **Orat. contra Eunom. XII.** *Ὁ τοίνυν Μωυσῆς πολλαῖς ὕστερον γενεαῖς τῆς πυργοποιΐας γενόμενος μιᾷ τῶν μετὰ ταῦτα κέχρηται γλώσσῃ, ἱστορικῶς τὴν κοσμογενείαν ἡμῖν διηγούμενος. καί τινας τῷ Θεῷ προςάπτει φωνὰς τῆς ἑαυτοῦ γλώσσης, καθ' ἣν πεπαίδευτό τε καὶ συνείθιστο.*

quae est sanscritae vel soror minor vel filia, exaratum, aetatem Ezrae (450) superare nullis argumentis evinci potest. Bibliothecae phoeniciae et punicae temporum procellis abreptae sunt, voluminum, quae Anatolia accumulavit, ne paginula quidem mansit, et, quidquid Babylonia et Assyria exaravere, omne intercidit, vix ut vestigium appareat — at divinae revelationis pandectae cum iisque lingua hebraica, quasi vitali rore coelitus rigata, incolumes ad nos pervenerunt. Etenim vetus illud testamentum nullis bibliothecarum incendiis, nullis temporum calamitatibus deleri poterat, sed, quantumvis ad extremam codicum paucitatem redactum rapidumque in gurgitem propemodum haustum, semper tamen e fluctibus emersit et navigioli instar, cujus ipse Deus gubernaculum teneret, tempestatibus, syrtibus scopulisque feliciter devitatis, ad novissimorum temporum oras appulsum est. Linguarum igitur disseminatione sinaritica exortarum sola hebraica superstes in monumentis ad illa tempora proxime accedentibus relicta est, quam, ut Punorum reliquiae ostendunt, naturâ minime sanctam, gratia divina sanctificavit. Haec inter ceteras linguas priscas primaevae imaginem optime exprimit ejusque similitudinem gerit relative maximam. Est vero una ex trigeminis semitismi linguis, quae cum trium ramorum instar in eadem stirpe vel instar trifolii in eadem caule nitantur, aetate tamen, qua effloruerunt, valde discrepant. Neque negari potest, linguam aramaicam semiticarum natu maximam videri, cujus sententiae luculenta argumenta *Jul. Fuerstius* et *S. D. Luzzatto* dudum proposuerunt; at lingua aramaica pura et invariata nobis conservata non est, et si reliquias ejus ethnicas in titulis regiis Sassanidarum,

in epitaphio Carpentoractensi, in nummis, qui dicuntur, Ciliciis Palmyrenisque inscriptionibus exceperis, nulla ejus monumenta habes, quae non vel synagoga vel ecclesia literis nobis prodiderit, aut rabinismo aut hellenismo penitus perfusa; quare hebraicae linguae, quae semiticarum natu media videtur, si non jus primogeniturae, certe summae antiquitatis constat. Ergo si quis collatione universali instituta in linguarum naturam inquisiturus quaerit, ubi insistat et unde excurrat, linguam hebraicam assumat, quâ nulla vel aetate superiora vel diligentius excussa monumenta possidet, hanc luminibus ceterarum linguarum admotis illustret, et quae hac ratione de interioribus reconditioribusque linguae hebraicae venis ipsi revelabuntur, rursus ad ceteras linguas intelligendas convertat. Et, ut brevi dicam, investigatio linguarum comparativa ordiri debet ab hebraica, cujus viscera intestina si physiologice noveris, multum ad linguas ceteras perspiciendas profecisti facemque lucidissimam tibi accendisti, quae ad loca abdita atque invia iter tibi aperiet.

Locus est hic exponendi, quam viam ac rationem schola historice analytica ineundam censeat ad linguam hebraicam grammatice atque etymologice investigandam. Praemonendum est vero, hanc methodum, multum ab opinionis praeconceptae arbitrio sejunctam, ipsa experientia comparatam ac comprobatam esse. Sunt igitur orbes tres, ambitu inaequales, centro eodem, in quibus omnis linguae hebraicae pervestigatio versatur; primus, quem lingua ipsa, quasi circum axem suam conversa, conficit; alter, quo hic minor circumductus est, dialecticus [1]);

[1]) Veterrimi synagogae doctores LXX. linguas esse di-

tertius, in quem ex medii orbis circumscriptione excedendum est, regio ceterarum linguarum, indicarum, medopersicarum, classicarum, germanicarum, slavicarum latissime patens, in quibus sanscrita proxime adjacet. De his circulis concentricis, in quibus versatur comparatio, deinceps speciatim disseremus.

Verum ne investigatio in aëre volitet, sed habeat quasi solum quoddam atque fundamentum, a quo, sive fidem tribuens sive addubitans, proficiscatur, et quo, sive comprobans sive rejiciens, redeat, data est ei *traditio,* quo nomine, opposita speculatione, hoc loco complectimur, quidquid in rebus grammaticis, lexicalibus et criticis institutione ac disciplina antiquitatis hebraici sermonis gnarae vel scriptis consignatum vel voce propagatum accepimus. Noli enim traditionem parvi facere, qua magistra atque nutrice nulla in doctrina, quae ad scientiae dignitatem adspirat, carere possumus, qua sola factum est, ut in monumentis hebraicis intelligendis non jam, quemadmodum in creberrimis istis peninsulae sinaiticae inscriptionibus, tanquam amisso gubernaculo, in alto fluitemus. Quare *Hilel,* priscus ille et mansuetudine clarus, barbarum quendam, legi orali fidem denegantem, cui vel alphabetum nonnisi traditione disci posse modo demonstraverat, satis acute arguteque hac consecutione convicit: עלי־דידי קא סמכת דעל־פה נמי סמיך עלי (b. Sabat 31.). Neque vero traditionem propterea, quod vetus sit multorumque consensu sancita, veritati congruam esse contendo; quin contemni ac negligi eam nolo, quia observantia et ho-

ctitabant, in his, ut ***Pesikta de-Rab Kahana*** tradit, XXVI. semiticas, XIV. iapeticas et XXX. hamiticas.

nore digna est omninoque necessaria. Traditio sola materiam praebet omnium eorum, quae ad comparationis leges et disciplinae praecepta examinari ac perpendi oportet; quidquid in lancibus staterae ponitur, haec sola nobis suppeditat. Hujus igitur cognitione linguae investigatio nullo modo supersedere potest; alioquin a conjecturis profecta ad fabulas delabetur et araneae instar fila ex semet ipsa ducet, multo arrogantior, quam ut attalica illa peripetasmata intueatur, quae prisca traditio purpura sua pertinxit et auro suo pertexuit. Intelligo vero traditionem synagogalem, cujus a capite rivulus ecclesiasticae accersitus et deductus est. Quamquam Origenem et Hieronymum praetermitti nolim, in quorum operibus euripos judaicae traditionis magnificentissimos admiror. Sed redeundum est ad fontem, ex quo ecclesia singulis aetatibus suum qualemcunque hebraicae linguae usum hausit. Traditionem, cujus notitiam in hebraicae linguae investigatore non desidero solum, sed etiam posco et flagito, primum complectuntur versiones, *Alexandrinorum*, qui et halakam et hagadam palaestinensem leviter pressis vestigiis consequuntur, ceterorum interpretum Graecorum, inprimis *Aquilae* (עקילס, אונקלוס, syr. ܐܩܘܠܣ), quem verbum ad verbum studiosius interpretantem Palaestinenses magnopere venerati sunt, et *Paraphrastarum*, praecipue *Onkelosi Proselytae* et *Jonatani Uziëli*, qui in aramaicis suis Targumim nunquam, quid solis ipsis videretur, semper, quod consensu antiquitatis comprobatum esset, expresserunt [1]), quare a judaicis exe-

[1]) Munus paraphrastae difficillimum hoc paradoxo docetur: המתרגם פסוק כצורתו הרי זה בדאי והמוסיף עליו הרי זה

getis plurimi aestimantur, uti formulae illae decantatae כדמתרגמינן, פרושו כתרגומו etc. abunde ostendunt. Porro traditio comprehensa est in Codicibus talmudicis et midrasicis, h. e. in Talmude et palaestinensi et babylonico nec non in illis Midrasim, quorum a *Sifra* et *Sifri* (c. 250.) usque ad thesaurum hagadae, *Jalquth* inscriptum (c. 1250) ingens multitudo exstitit — traditionis synagogalis aureae Catenae, quarum annuli artificiose et accurate conserti sunt, monumenta mirabili opere exstructa,

— Phario nutantia pondera saxo.

Haec volumina bilingui oratione, h. e. aramaica et neohebraica, exarata, quibus literae judaicae nil habent vel amplitudine vel gravitate praestabilius, horrea simul sunt capacissima, quibus traditio antiqua, auctorum nominibus nunquam omissis, condita ac reposita est. Namque eorum allegoremata, mythi ac glossemata observationibus grammaticis, lexicalibus ac masoreticis, quae ex sensu indigenitali perque subtili atque usu linguae scripturaeque familiarissimo fluxerunt, aut superstructa sunt, aut ad eas tanquam adminicula adnituntur. Horum operum lectione adsidua innutriti, grammatici inter Judaeos complecti et disponere studebant, quae veteres digressionibus suis disperse ac diffuse supposuerant. Libri grammaticorum (דייקנים) et exegetarum (מפרשים) tertium traditionis fontem constituunt, cujus tamen latices non tam limpidi, illimes et imperturbati sunt.

מחרף ומגדף (Qidushin 49, a.). Talmudes ipsî paraphrasibus Onkelosi et Jonatani crebro utuntur, inprimis *Rab Josef* (m. 325), cujus notum est illud: אלמלא תרגום דהאי קרא לא הוה ידענא מאי קאמר (ad Zekar. 12, 11. Megila 3, a. Moëd qathan 28, b.)

Nam grammatici inde a *Juda bar-David*, cognomento *Chajug'*, in doctrina de formis, et inde ab *Ibn-'Ganah*, cognomento *Mervan*, in lexicographia multa veterum sensui contraria ab Arabibus mutuati sunt, et exegetae, hispanici potissimum et provinciales, praesertim cum arabice scribunt (uti *Tanchum Hierosolymitanus*, auctor commentarii *Al-Morshid*, et *Abu'l-Barakat* iste [2]), cognomentatus *Auhadu-zzaman*, qui postmodo ad Islamum descivit) consensum vetustatis saepenumero deserunt, in quo, ut summo jure agant, traditionem certe non exhibent. Sed consulendi sunt tamen, quia traditionis mentionem atque usurpationem non intermittunt, et quia cum sensu indigenarum perquam eleganti comparationem dialecticam scite conjungunt. Adeunda est etiam *Masora*, multo illa nomocanone talmudico vetustior, sed deinceps a compluribus locupletata et in corpus redacta, quae cum textum minuta diligentia critice custodiat, saepe etiam notas admiscet, quae ad grammaticam et lexicographiam pertinent et propter palaestinensem ejus originem plurimum ponderis habent; siquidem formas anomalas denotat (velut מלין אנדרוגינוס Gen. 30, 38. 1 Sam. 6, 12. Dan. 8, 22.; מלין דכתיבין מוקדם ומאוחר Qohel. 9, 4. Ps. 145, 6.), vocabula, in quibus sphalma inesse credas, munit (מטעין בית ספריא, מטעין 1 Sam. 22, 22. Ex. 23, 13.), significata vocabulorum enumerat (בתרין לישניא Gen. 39, 12. et sexcenties), nomina propria, quae pro verbis (ut יוסף) aut appellativis (ut אֲחֻזַּת) habere possis, et sacra, quae pro

[1]) Pococke, Porta Mosis p. 190. Tanchumi fragmenta, quotquot adhuc edita sunt, componet in Historia Linguae Hebraicae Concordantiis addita *Jul. Fuerstius.*

profanis (ut אַל), distinguit (addito לישן חול, שום גברא, קדש), significata pro punctatione diversa designat (velut חכימין רפין ערטלאין דגשין ad עֲרוּמִים Job. 15, 5.). Ex his igitur fontibus petenda est traditionis notitia, qua qui caret, ad hebraicam linguam investigandam adjumento praestantissimo destitutus est. Quomodo ille *ἅπαξ γεγραμμένα* explicabit, si hariolatione sua fretus traditionem aspernetur, quae plerumque id, quod verum est vel ad veritatem proxime accedit, dudum observavit, e. c. in nn. אֲבִיּוֹנָה Qohel. 12, 5., a verbo av-endi, sanscr. aw, quod de concupiscentia carnali recte explicatur b. Sanhedr. 105. (אביונה זו חמדה); יְהָב Ps. 55, 23., a verbo ap-tandi, sanscr. âp, quod onus significare reperies b. Rosh ha-Shana 26. (טונא = משא); נוֹף Ps. 48, 3., a verbo nub-endi (unde sanscr. nabhas = *νέφος*), quod de amictu dici et cum n. נינפי, *νύμφη*, cognatum esse ibidem perbelle dicitur; מְכֵרָה Gen. 49, 5., a v. כָּר, sanscr. khur (unde khura, culter), ad quod Isaaki ex Tanchuma *μάχαιραν* Graecorum jure confert [1]). Quomodo synonymorum dissimilitudines exponet, quas traditio saepenumero sagacissime definit, veluti in septem nominibus leonis (b. Sanhedrin 95.), septem auri (j. Joma IV, 2.), septem cedrorum (j. Ketubot VII, 3.), septem coelorum (b. Chagiga 12.), septem gigantum (Gen. Raba XXVI, 16.) decem prophetiae (Gen. Raba XLIV, 7.), decem psalmorum (b. Pesahim 117.). Inquisitio enim, quae a conjectura ad arbitrium libidinemque ficta proficiscitur, in consecutione arbitraria semet ipsam decipiens acquiescet; contra, si a traditione

[1]) Parchon: פי' עֲדָיִם וכלי זיינם ובלשון יון קורין לסבין מכירי

exeat eamque excussis probationibus neque approbare dubitet neque rejicere vereatur, plerumque traditionis assensu gaudebit et prope nunquam antiquitatis testimoniis semet ipsam desertam sentiet; quod ut demonstrem, sat esto quatuor exempla attulisse. Nomen חִדֶּקֶל (semel in pausa חִדָּקֶל) traditio compositum esse dicit, ita ut Tigris vel a sonitu aquarum acuto h. e. acri (Gen. Raba: חד בקולו) vel a velocitate (Isaaki: שמימיו חדין וקלין) nomen acceperit, assentientibus vel Hellenistis (Josephus: *τὸ μετὰ στενότητος ὀξύ*), idque perperam, sed egregie divinato ejus nominis etymo. Nam si ab eo nomine sanscritosemiticam illam terminationem el dissolveris, remanet n. piël. חִדֶּק, a v. חָדַק, acutum esse (unde חֵדֶק, aculeus, spina), translate de rapido et praecipiti fluminis cursu [1]). Hoc verbum rursus compositum est ex praepositione cha et v. simpl. דַּק, sanscr. tig', pers. tîgh (unde et בָּ־דַק, סְ־דַק), quod sine praepositione exstat in nominibus ejus amnis dialecticis (aram. דִּגְלַת, deqlat, arab. dig'la, dag'la) et peregrinis (zend. tig'er-em, pehlv. teg'era, cf. sanscr. tîvra, tîgra, acutus, acer, celer). Causam, quare gigantes נְפִלִים nuncupati sint, traditio hanc esse prodit: שהפילו את־העולם ונפלו מן־העולם (Gen. Raba et Isaaki ad Gen. 6, 4.); qua cum traditione convenienter Aquila *ἐπιπίπτοντες*, Onkelos גבריא, Symmachus *βιαῖοι* vertunt. Et probe quidem ejus nominis originem praesagierunt, nam verbi נָ־פַל (unde

[1]) Curtius IV, 9. (assentiente Strabone et Plinio): Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur, multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaque a celeritate, qua defluit, Tigri nomen est inditum, quia persica lingua Tigrim sagittam appellant.

et נְפַל, נְפִיל, Orion) radix est pal, bal, unde pers. pehlu, robur; sanscr. bala, vi eadem; quare נְפִילִים, heroes fortes et de-bellantes. Ad nominis סְנַפִּיר significationem definiendam b. Cholin 26. adnotatur: אלו הן הקשקשים הקבועים בדג וסנפירים שהוא פורח בהם: idque egregie. Nam, demta terminatione îr (qua non intellecta nonnulli arab. نفر = פָּרַח, fugere, currere, contulerunt), reliquum fit n. primitivum סַ־נָף, quod, sicut זָ־נָב, cauda (talm. גְּנוּבָא, a rad. נָף = נב), de eo dicitur, quod vibratur vel quo quis semet ipsum vibrat (*Schwing-, Schnell-Flosse*). Quartum exemplum sit n. כִּימָה, quod b. Berakot 114., tanquam compositum, exponitur: כמאה כוכבי, cum-ulus centum stellarum, male quidem, sed indicato vocabuli etymo, ad quod propius accedit *Parchon:* פי' קבוצת כוכבים קטנים. Nam Gesenius, acclamante Fuerstio in Concordantiis, apprime rectissime comparavit arabicum كَام Conj. II, cum-ulare, unde *kûma,* cum-ulus, et hic adjecit sanscr. jam, gam, gr. *γαμεῖν* etc., quare כִּימָה primum de acervo stellarum (*Sterngruppe*) dicitur, deinde speciatim transfertur ad

Atlantis natae septem radiantia stellis
Sidera.

Ex his indiciis intelligere poteris, traditionem plerumque ea, quae legibus instituta collatione linguarum confirmantur, uti divinatione quadam vel auguratione, praesensisse ac praenuntiavisse. Haec igitur basis est et fundamentum, quod bene nosse, in quo pedes ponere debet linguae hebraicae scrutator; sine cujus cognitione accurata claudicabit ac vacillabit, quidquid ingeniolo suo fultus invenerit.

Sed, ut ad propositum redeamus, disserendum est sigillatim de tribus comparationis generibus, in qui-

bus et ordine et auctoritate exstat atque eminet domestica. Primum enim hebraicae linguae intelligendae adjumentum est linguae cum semet ipsa collatio: quae quidem in doctrina de formis grammaticis ac de oratione recte ornateque componenda, traditione assumta, quidquid opus est, sola administrat. Quamobrem grammatici Judaeorum veteres, veluti *David Qimchi* in libro *Miklol* et *Simson Naqdan* in l. *Simsoni*, in disciplina de formatione verborum, nominum et particularum ac de potestatibus vocalium, accentuum signorumque diacriticorum, quaecunque monumenta prisci hebraismi praebebant, tam studiose collegerunt ac composuerunt, vix ut posteris spicilegium relinquerent. Dolendum est, eos syntaxin, ad quam praeceptis comprehendendam etiam instructiores erant, quippe cum scripturam sacram in memoriam redegissent, plane missam fecisse. At vero etiam ad intelligentiam linguae lexicalem plurimum pollet potiorque est ceteris interior comparatio. Videndum est autem, ut ad normam legum certarum dirigatur, ne vel fictis legibus male conjiciat vel ex sola externa similitudine caece harioletur. Observari oportet leges de sonis eorumque vel convenientia vel discrepantia, de mutationibus euphonicis, de vocalibus earumque vicissitudinibus, estque aliqua de radicibus vocabulorum earumque accretione cognitio prius necessaria, quam ordiare. Qua si careas, maxime heterogenea h. e. vocabula radicibus diversis oriunda et e literis, quae inter se nusquam commutantur, coagmentata propter significationem aliquantulum consimilem inepte conglutinabis, e. c. דָּחַק (דָּ־חַק, *παρ-ακ-ουᾶν*) cum v. דָּחַף (דָּ־חַף, *προς-κόπ-τειν*); גָּלַב (גָּ־לַב, de-glub-ere, glab-rare) cum גָּלַח (גָּלַ־ח = גָּלָ־ה, cal-vare); לָעַב

(*λωβ-ᾶσθαι*) cum לָעַג (*λακ-εῖν, λάσκ-ειν*); מָרָה (mur-mur-are) cum מָרַד (mord-ere); נַשׁ (sanscr. ças) cum מַשׁ (*μάσσ-ειν*); חָ־פַר (for-are, effodere) cum חָ־פַשׂ (sanscr. wish, bis), quae verba nuper in Prolegomenis *Luzzatto*, ab uno de nostratibus seductus, improspere compegit. Quodsi collationem domesticam feliciter instituere velis, scire debes (id quod dudum collatione illa tripartita confectum est), esse radices verborum et pronominum, quae incrementis initialibus, finalibus et epentheticis vel euphonice vel dynamice amplificentur. Sciendum est, verborum plurimorum radices triplici modo in stirpes verbales accrescere, primum ita, ut binae earum literae brevi longave vocali contineantur; deinde, ut, addita epenthesi vel paragoge, sine ingenitae significationis discrimine in triliteras commutentur; denique, ut verbo simplici praepositio, vim ejus leniter varians, praefigatur. Sic e radice verbi forandi fiunt haec verba bilitera simplicia: פַּר, פָּר, בָּר, haec trilitera simplicia: בָּאַר, פָּאַר (פָּרוּר), בָּרָא, בָּרָה; et haec trilitera composita: הָ־בַר, חָ־בַר, חָ־פַר, סָ־פַר, צָפַר (טְ־פַר) et קָ־בַר. E radice verbi ar-andi i. e. fodiendi primum proveniunt haec bilitera, producta media vocali: אָר (אָרוֹן), חָר (חוּר) כָּר, עָר, קָר; deinde phonica productione haec trilitera: כָּרָה, כָּאַר, קָעַר; denique praefixa prosthesi praepositionali, haec trilitera composita: אָ־כַר (אִכָּר, agricola), בָּ־קַר (בָּקָר, bos arator), דָּ־קַר, זָ־כַר (trop. insculpere memoriae), חָ־קַר, נָ־קַר, עָ־קַר. Ex radice fov-endi s. contegendi haec bilitera simplicia extiterunt: גַּף, גָּף, חַב, חַף, כַּף, עָב, עָף, haec trilitera simplicia: חָבָא, חָבָה, חָפָא, חָפָה, כָּבָה, כָּפָה, עָבָה et v. praepositionale רָ־חַף. Radix verbi cat-enandi haec bilitera simplicia prae-

bet: גָּר, חָר (הִידָה), חָט, et haec praepositionalia, tribus, ut solent, literis constantia: אָ־גַר, אָ־כַר, אָ־חַר. לָ־כַר, עָ־קַר, פָּ־חַר (פְּחָדִים, veretrum), שָׂ־קַר (Eka 1, 14.). Hanc doctrinam de radicum verbalium propagatione si teneas, hoc solo adjumento tantum lucis linguae hebraicae afferri intelliges, vix ut luce aliunde oblata egeas; at et imprudens et ingratum esset, id si senseris, ad haruspicinam Gussetii desciscere. Nam, abjecta et intermissa dialectorum linguarumque exterarum collatione, interna illa linguae ipsius comparatio non solum ultro citroque errat, legibus conditionibusque privata, verum etiam argumenta desunt, quibus, quidquid interna comparatione invenimus, confirmetur et extra omnem dubitationem ponatur. Quare comparatio intestina parallelâ, ut ita dicam, dialectorum ceterarumque linguarum collatione dirigenda est ac stabilienda. Hac via ac ratione agnosces, comparationis esotericae ope multa arcana ita detegi, ut ea non conjecturâ, sed oculis ac manibus teneas. Multa verba vim suam manifestam patefaciunt, quam in exterarum linguarum analogis difficulter inveneris, veluti vv. גָּאַל, גָּעַל, חַל, נָ־חַל vim solvendi, vv. גָּ־מַל, חָ־מַל, עָ־מַל vim portandi ferendive, vv. חָ־צַב, חָ־שַׁב, כָּ־זַב vim nectendi, v. כָּהַן = כָּן, קָנָ־ה, vim apparandi s. ministrandi. Multa *ἅπαξ γεγραμμένα* illustrantur, veluti :אַרְבִּ (1 Sam. 2, 33) = דָּאַב, דָּב, tab-escere; דָּהַם (Jer. 14, 9.) = דַּם, דָּם, דָּמָה, obrigescere, desinere; הָמַר (מַהֲמֹר Ps. 140, 11.) = כָּמַר, כָּבַר (מַכְבֵּר, מַכְמֹר) ligare, plectere; חָדַר (Ez. 21, 19.) = גָּדַר, stipare, cingere. Inveniuntur porro hoc modo formarum nominalium potestates, veluti diminutivorum, imperfectivorum, quae **habitum** indicant et eorum, quae in ח, ך, ל, ם, ר, שׂ, שׁ desinunt et hucusque in-

dogermanicarum linguarum peculiariter propriae putabantur; sternitur via ad doctrinam de sonis hebraicam, quorum quidem vicissitudines et necessitudines in verborum cognatorum familiis conspiciuntur, velut in vv. זָהַר, טָהַר, סָהַר, צָהַר, שָׁהַר, nitere; טָף, צָף, דַּב, זָב, זָף, manare; דַּל, זַל, טַל, סַל, תַּל, toll-ere, *ταλαντεύειν*; אָ־פַל, אָ־בֵל, אָ־וַל, decidere; זָהַב, טָב, צָהַב, דָּהַב, splendere. Et, quod caput est, hac interna comparatione acriter cognosces, numerum radicum, quem sacra hebraicae linguae monumenta nobis exhibent et quem, ut videtur, non multo auctiorem ipsa lingua vetusta, cum in ore populi vigeret, repraesentabat, uti sanscritarum, multo minorem esse, quam putaras; sed vicissim immutationes, quibus significatio earum variatur et distinguitur, innumeras earumque compositiones multimodas ac paene infinitas esse. Poteris etiam, si origines pariter atque usum observites, eo pervenire, ut, evolutis primis linguae antiquissimae elementis, in verbis simplicibus varietatum rationes, in compositis praepositionum potestates, in particulis compositionum subtilitates perspicias; modo ne usu te seduci patiare, qui ab una stirpe verbali derivata significatione valde disparia effingit [1]), qui saepe vocabula stirpibus cognatis oriunda magnopere discernit [2]), saepe etiam significata tam remota in-

[1]) Velut a rad. פר, *πορ-φυρ-οῦν*, pur-pur-eum esse h. e. vel puniceum vel hyacinthinum: חָ־פֵר, *πυῤῥοῦσθαι*, burrum fieri prae pudore (cf. בּשׁ = בָּץ, לָעַב, neoh. הִלְבִּין, עָלַב, נִתְכַּרְכֵּם); כֹּ־פֶר, *κύπρος*, albina, cujus flores subcandidi sunt; עֹפֶרֶת, plumbum utpote subalbum; שְׁפַרְפָּרָה (שָׁ־פֵר), aurora „roseo spectabilis ore;" et, ut mihi videtur, סַפִּיר (סָ־פֵר), *σάπφειρος* (*κυανῆ, χρυσῆ*).

[2]) Velut מָטָר et זֶרֶם a rad. טר = זר; נְגִינָה et קִינָה,

culcat, ut etymi recordationem plane amisisse videatur.

Linguae hebraicae cum semetipsa comparatio valet etiam in ceteras dialectos, quae, etsi specie multum differunt, re tamen sunt unae ortuque unigenae; id quod a permultis jam dudum pronunciatum est. Ibn-Ezra in libri sui *Safa berura* initio ait: לשון הקדש ולשון ארמית ולשון קדר שפה אחת היתה ודברים אחרים. Et Juda ha-Levi in parte altera dialogi sui, *Kuzari* inscripti, אלו שלש לשונות, inquit, היו משותפות מתדמות הארמית והערבית והעברית בשמותיתם ובהליכותיהם ובשמושיהם והיתה לשון העברית לבדה המעולה שבהם: Bene utrumque, et se isto modo res habet. Quodsi igitur verborum אָ־סַר, הָ־שַׁר, קָ־שַׁר (et quae praeterea ad hanc familiam longe lateque patentem pertinent) cognationem intellexeris, scies etiam, quam ingenitam vim, ligandi nempe, habeant apud Arabes أَسَرَ, حَشَرَ, عَشَرَ (III. societatem inire), apud Aramaeos אֱסַר, קְטַר, עֲטַר. Si interna comparatione compertum habes, n. זְאֵב a v. זָאַב = זָעַף denotare lupum utpote rabidum et truculentum *(der Isegrimm)*, n. פַּקּוּעַ a v. פָּקַע = בָּקַע cucumellam vel colocynthidem in ventrem tumidum crescentem, n. נְחֹשֶׁת a v. נָ־חַשׁ = חָשׁ (חֹשֶׁן) aes micans (*σίδηρος αἴθων*), simul didicisti, quam originem habeant nmm. arabica ذيب, نحاس, فقوص (Abdollatif II §. 16.) et aramaica פְּקַע, דִּיב, נְחָשׁ. Quid quod audacter affirmare possumus, multum caliginis, qua dialectorum semiticarum genealogia circumfusa est, ope hebraicae linguae dis-

a v. נָ־גַן = קָן, can-ere, sanscr. kan; מִזְמוֹר et שִׁיר, a v. זָמַר, زمر = שָׁר, sanscr. swar; סֻלָּה et מָשָׁל, a v. סָלָה = טַל, שַׁל, תַּל, sanscr. tul, toll-ere.

pelli posse. Neque vero negamus, linguam hebraicam rursus ab illis non paullum lucis mutuari posse, ita ut officiis mutue respondeatur. Assumenda est igitur *dialectorum collatio*, quam quidem perquam periculosam ac lubricam esse ex erroribus perspicitur, in quos sat multi hujus adjumenti abusu inciderunt. Nota et satis castigata est arabizantis scholae insulsitas, quae lunae radiis solem incendere studuit. Nihilominus etiamnunc non desunt, qui ex Golio pennas psittacinas legant, quibus suismet operibus agglutinatis insolentes gloriantur. Factum est tamen aramaicae linguae conferendae initium, at gemaricae et targumicae praefertur syriaca, cujus collatio facilior est, non utilior. Utraque lingua, cum aramaica tum arabica, ad hebraicam illustrandam, praeeuntibus Talmudum Midrasique doctoribus [1]), usi sunt jam *Juda ben-Qarish* ex urbe *Taharat* in finibus Fessae oriundus, *Saadia Fajumi*, qui Vetus Testamentum, ab *Isaako ben-Honein* Syro e graeco in arabicum sermonem dudum translatum, primus de Hebraico arabicum fecit, *Abulwalid Mervan Ibn-'Ganah* Cordubensis (cujus *Kitâb al-Açul*, lexicon bipartitum, et *Kitâb al-Mustalchiq*, notae criticae de Abu-Zekerijae h. e. Judae Chajug'i opere super literis quiescentibus, collatione a Gesenio instituta aliquantulum innotuerunt) ejusque adversarius *Samuel Nagid* Granatensis, *Menahem*

[1]) Arabicam linguam collatam reperis (a *R. Levi*): j. Berakot IX. f. 35, a. Rosh ha-Shana 26, a. Gen. Raba 39, c. 69, c. 89, a. 97, b. Lev. Raba 165, b. 170, a. 193, d. 200, b. Midr. Cant. 23, a. Midr. Rut 46, d. Midr. Qohelet 115, b. Tanchuma 31, d. 48, d. Quam locorum collectionem *Zunzio* debemus (*Gottesdienstliche Vorträge der Juden* p. 327. q. v.).

ben-Saruk [1]) ejusque adversarius ***Dunas ben-Librath,*** inprimis ***Salomo Abrahami,*** cognomentatus ***Parchon*** (פרחון, פירחון) ex Bibili Nova (***Kal'at Ejjub*** in Aragonia), Judae Levitae discipulus, in lexico suo *Machberet* s. *Sefer ha-Jesod* inscripto [2]), multique praeterea grammaticorum interpretumque antiquorum, quos silentio praetereo; et parce quidem ac sobrie his dialectorum adjumentis usi sunt, sed mutua earum linguarum necessitudine et singulari uniuscujusque indole vix in quaestionem disceptationemque vocata. Linguam denique neohebraicam, cujus vix ortum, nedum historiam usumque neoterici noverunt, ad antiquam investigandam passim adhibent judaici interpretes, docte, ut par est, ac feliciter, sed quo jure fieri possit quibusque legibus oporteat, ipsi nescientes. Oritur igitur quaestio, si ex dialectis cognatis linguam hebraicam, antiquam illam atque antiquissimis literis nobis conser-

1) In pervetusta membrana ad 2 Reg. 16, 18. מוּסַךְ scriptum invenio: בקשתי מאת קדשי הלשון אשר גבורתם וחכמתם רב כנחל קישון׃ אולי אמצא מהם פשר דבר ולא מצאתיו ומצאתם כסכך ופי כעגב ולא הזכירוהו לא רב יהודה בספרו ולא רב יונה במאמרו ואף לא רב מנחם בן סרוק קנית המדוק וזקן הדוק (ut videtur, ex libro *Ha-Mibchar* Aharonis ben-Josef Karaitae, qui c. 1290. Constantinopoli vixit et in operibus suis saepissime adducit *Jafetum Levitam*, quem, uti et *Juda Puki* in l. *Shaar Juda*, המלמד nuncupat).

2) Modo vide, quae ex eo adhuc excusa sunt: *De Rossi*, Variae Lectiones Tom. IV. Catalog. Codd. 764. 1038. Lexicon hebr. selectum ex antiquo et inedito R. Parchonis Lexico, Parmae 1805. *Heidenheim*, Accentuologia (משפטי הטעמים) f. 40 — 43. Quemadmodum *Mose Gecatilia* opera *Judae Chajug'* Fessani, sic *Parchon* opera *Abulwalidi* hebraice interpolavit eoque labore magnam auctoritatem apud populares suos adeptus est — id quod ex libro *Simsonis Naqdani,* vestigia Hispanorum prementis, apparet.

vatam illustrare cupiamus, quo illae ordine et quas ad leges comparari debeant.

Principem in dialectis comparandis locum obtinet aramaica, quam significanter appellat Theodoretus *γειτνιάζουσαν τῇ ἑβραικῇ*. Haec est enim dialectorum semiticarum antiquissima, lingua Abrami, primum ac proprie *Ibrit* dicta, qua utebatur, cum Euphratem transvectus in Canaanitidem descenderet [1]. Hanc dialectum prius, quam hebraicam, de communi semitismi stirpe exiisse, jam veterum nonnulli contendere non veriti sunt, uti tritissimum illud אדם הראשון בלשון ארמי סיפר demonstrat (b. Sanhedr. 38.). Ac Philo iste Alexandrinus linguam hebraicam, quam aliquoties *Ἑβραίων γλῶτταν* (I p. 399. M.) et *πατρίαν γλῶτταν* (II p. 150. 278.) nuncupat, plerumque *χαλδαϊκήν, χαλδαϊστί* appellat, ex qua vel pentateuchum translatum esse scribit [2], idque facta denominatione a lingua antiquiori, quam Judaéi post exilium babylonicum in Aegy-

[1]) b. Sabat 115. Megila 18. Gen. Raba XLII, 13. עברי שהוא מעבר הנהר ושהוא משיח בלשון עברי h. e. lingua transeuphratana s. aramaica, uti bene *Samuel Jafe:* עברי לאו הינו לשון הקדש אלא לשון של בני עבר הנהר. Haec autem vetustior nominis עברית significatio geonaeo tempore intercidit; jamjam unum de tribus grammaticis Saadiae operibus inscriptum est اللسان العبرى, et Juda Levita absurde et confuse dicit: אברהם היה מדבר בארמית באור כשדים שהארמית היא לשון כשדים והיתה לו העברית לשון הקדש והארמית לשון חול:

[2]) II p. 138. M. *Τὸ πάλαιον ἐγράφησαν οἱ νόμοι γλώττῃ χαλδαϊκῇ καὶ μέχρι πολλοῦ διέμειναν ἐν ὁμοίῳ, τὴν διάλεκτον οὐ μεταβάλλοντες*, et p. 139. de Ptolemaeo Philadelpho: *Ὁ δη τοιοῦτος ζῆλον καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν εἰς ἑλλαδα γλῶτταν τὴν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοιεῖτο.*

ptum delati cum hebraica permixtam loquebantur [3]). Antiquissima autem hujus linguae monumenta, quae ne reliquiis quidem illis aramaismi aegyptiaci aetate superantur, scriptura sacra continet, in qua intima proximaque cum lingua sancta societate conjuncta comparet. Inservit enim revelationi divinae, ut ex nonnullorum sententia vetustissimus quoque Arabismus in libro Jobi [4]); quae sententia, si vera

[3]) Male Hieronymus (in Dan. I): „Philo arbitratur linguam Hebraeorum ipsam esse chaldaicam, quia Abraham de Chaldaeis fuerit.“ Noli enim credere, Philonem mera inscitia (qua syriacam cum chaldaica eandem esse ignoravit, ut vides adv. Flaccum p. 522. M.) linguam hebraicam et aramaicam raro discernere, plerumque confundere, qui, cum in etymis eruendis cum traditione judaica, saepiuscule illa perquam absurda, mirifice concinat, in hac linguarum commixtione longissime a talmudum consuetudine discedit. Aramaica enim lingua (quae ipsius oculis obversabatur), uti ex monumentis semiticis in Aegypto inventis apparet, ad aramaismi biblici similitudinem non pura erat, sed hebraismo ita temperata, ut et hebraica et aramaica, prout vel haec vel illa ejus elementa consideraveris, dici posset. Sic in illis monumentis invenies איש pro targum. אֱנָשׁ, גְּבַר; א in 3. impf. vv. ל״ה pro targ. י; pron. pers. המון pro suff. קְטַלְנּוּן; formas solutas, veluti ינתן, retento *Nun;* מראי c. suff. 1 p. pro targ. מָרִי; לה in fine verbi et absol. pro targ. לֵיהּ, etc. Quibus de proprietatibus, adhibitis inscriptionibus aramaicis vel lapidi incisis vel papyro inscriptis, quae in Aegypto inventae et ad judaicam originem referendae sunt, disseret *Ed. Fr. Ferd. Beer,* vir palaeographiae peritissimus, in particula II. operis praestantissimi: Inscriptiones et Papyri veteres semitici, quotquot in Aegypto reperti sunt, Lipsiae 1833. 4.

[4]) Hieronymus in Praef. ad l. Jobi: „Haec translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso ebraico arabicoque sermone et interdum syro nunc verba nunc sensus nunc simul utrumque resonabit.

sit, scriptura sacra necessitudinem trium dialectorum semiticarum imagine lucidissima repraesentat easque, nulla excepta, oleo unctionis sanctae perfudit. Notum est vero, scripturam sacram aramaismum non purum, sed hebraice immutatum exhibere, atque etiam in literis ab illius aetate recentibus non omni admixtione liberam, sed modo puriorem modo pluribus paucioribusve alienis elementis infuscatam reperiri linguam aramaicam, quae si babylonicam suam integritatem servasset, multo plus ad hebraicam linguam explicandam ponderis vel auctoritatis haberet. Quamobrem aramaismum, si comparationem historice corroboratam instituere velis, probe distingui oportet pro aetatibus, quibus excultus est, et pro finibus, in quos excultus est Ceteras ejus formas aetate ac castitate praecurrit *targumicus,* quia paraphrastae, quantumvis hebraismo veteri passim cessisse deprehendantur, tamen genus aramaice dicendi minime vulgare consectati sunt. Nihilominus etiam paraphrasium diversa idiomata discerni necesse est, babylonicum *Onkelosi*, a quo et dialecto et genere scribendi differt *Jonatani* ad prophetas paraphrasis, syriacum paraphrastae librorum אמ״ת, syrochaldaicum, ut ita dicam, paraphrastae quinque *Voluminum*, palaestinense denique *Hierosolymitani,* quem gemara babylonica usum esse manifesto apparet. Sequitur aramaismus *gemaricus*, qui, licet totus ex elementis dissimillimis mixtus, inviolatior tamen erat apud Judaeos in *Persia* degentes, quam apud *Palaestinenses,* et in ipsa Palaestina purior apud *Hierosolymitanos*, pejor apud *Samaritanos*, pessimus, ut ex gemara Erubin perspicitur, apud *Galilaeos* et, qui eorum idioma participant, *Zabios.* Agmen claudit *soharicus* (nam *pijutici* literae tenuiores sunt,

quam ut in censum venire possit), quo nomine aramaismum gnosi judaicae adaptatum complectimur. Cujus comparatio, etsi magna cum cautione instituenda, tamen non inutilis est, ut vel istuc *Ἀχαμώθ* Valentinianorum demonstrat, h. e. חָכְמוֹת (Prov. 9, 1) pro usitatiori forma חָכְמוֹת, ad similitudinem nn. רִבּוֹת, עוֹלֵלוֹת, הוֹלֵלוֹת, בָּרוֹת, אָחוֹת, quo exemplo obsoleta illa atque aramaizans feminini forma aliquantulum confirmatur. Aramaicus ipsius *Soharis* sermo splendidissimus est, rarissimis verbis et dictionibus ample magnificeque exornatus, idemque vocabulis non solum graecis, latinis persicisque ex gemara desumtis, sed etiam arabicis ac romanicis (veluti קַטְפּוֹר, uter, גַּרְדִּין, קַרְדִּין, guardiano) adeo refertus, ut vel ex hac formae externae proprietate ad hispanicam ejus originem concludere possis [1]. Neque

[1]) Idioma sobaricum (quod quaestionem de ejus libri aetate ac patria solum dirimere poterit) multa exhibet, ad hebraicam linguam explicandam multum profutura; zabico certe utilitate non est inferius. Sed quis in has catacombas descenderit, inscriptionibus illas gravissimis decoratas, sed pestilentissimo aëre repletas, ex quibus Reuchlinus, Mirandola, Knorrius et nostra memoria *Molitor* non sine ingenti vitae periculo emerserunt! Sed ut aramaismi soharici saltem guttulas aliquot gustes, voces dictionesque, nonnullas componam, quae ejus sunt propriae: עַרְטִירָאִי, nudus (עִרְטוּר, nuditas, talm. עַרְטִלָאִי, a v. עֲטַל); עוּרְדְּעָן, rana (pl. עוּרְדְּעוּנַיָּא, hebr. צְפַרְדֵּעַ); קַדְרוּתָא דְצַפְרָא, crepusculum matutinum; קַסְטִיפָא דְשִׁמְשָׁא, nitor solis; קַסְטִירָא דְבוּסִינִין, splendor luminum (a v. בָּץ=בָּם, sanscr. bhâs); אֱנָצַת לַבְלְבִין, efflorescentia germinum (a v. redupl. לַבְלֵב = לָהַב, *λάμπειν*); פִּרְיחוּ דִרְתִיכוּ, volatus currus cherubinici (cf. פָּרַח Ez. 13, 20. רָתַק, Qohel. 12, 6. *Ketib*); טוּרֵי קַדְרוּנִיתָא, montes caliginis (v. Jer. 13, 16); חֲבִילֵי טִיהֲרִין, chori spirituum luminosorum (טְהַר, vi ingenita lucendi, = צָהַר etc.); בְּטַשׁ, percutere, de radiis et vo-

prorsus negligendus est aramaismus *masoreticus* (h. e. Masorae ipsius operumque masoreticorum), cujus terminologia symbolica, valde illa ab arabizante diversa, hieroglyphice brevis et mira subtilitate distincta, dictiones multas habet quasi indigenas, hujusque soli peculiares et vernaculas, velut קְרָיָא, scriptura sacra, הַלִּילָא, psalmi, אַשְׁלְמָתָא, prophetae, תֵּיבוּתָן, vocabula (ad s. f. hierosol. נִשְׁמָתִין, animae), דְּעָלְם, sequentibus his, etc. Aramaismum judaicum excipit christianus s. *syriacus*, cujus de monumentis ethnicis, quae propter vetustatem obsoleverint, nonnulli insipienter loquuntur. Sermonem enim syriacum, quatenus certis indolis internae notis ab aramaico Judaeorum discrepat, ecclesia progenuit. Proinde maximi momenti erant ad hanc aramaicae linguae quasi spiritualem regenerationem ecclesiastica doctrina, disciplina, dictio et praecipue Hellenismus, qui Dei voluntate linguae sanctae Novi Testamenti dignitatem adeptus est. Hinc in lingua syriaca illa graecorum nominum, verborum adeoque particularum copia, quae vel dialectum hierosolymitanam graecismis scatentem exuperat, hinc sexcenta vocabula in usum sacrum novata, multa etiam judaici aramaismi propria, sed ad res ecclesiasticas translata, veluti ܗܝܟܠܐ, aedes sacra, jud. templum hierosolymitanum; ܥܡܕܐ, baptis-

latu (= פָּ־טַשׁ, *πα-τάσσειν*); מָארֵי מְהֵימְנוּתָא, fideles (cf. syr.); אִדְרָא עִלָּאָה, exedra coelestis; וַרְדָּא קַדִּישָׁא, rosa sancta, cognomen Shekinae; עוֹפֵי דְּפִרְחָאִין, angeli volantes; פִּתְקָא דְּקִיטְפָּא, decretum deletionis (קְטַף = קְטַב); פִּנְקְסָא דְּאַרְכְּמְתָא, tabula archivi; שַׁלְהוֹבָא דַּאֲחִידָא, flamma unionis mysticae; טִפְּסָא דְּמוֹתָא, flamma mortis; מְסוּתִיתָא דַחֲשָׁךְ, principium tenebrarum (neohebr. מַחְצָב); מְטוּטוּרֵי דְבוּשְׂמַיָּא, tabernae aromatum; בַּסִּימוּ דְמִלִּין, dulcedo orationis; נְשַׁף יְמָמָא, dies cedit. V. Isakar Beer, אמרי בינה, Prag. 1711. 4.

ma, jud. statio h. e. precatio; ܫܒܐ, dominica, jud. שַׁבָּא (= שַׁבָּת, sicut יוֹחָנָא = יוֹחָנָן), sabbatum; ܬܫܡܫܬܐ, liturgia, ministerium sacrum, jud. spec. concubitus maritalis; ܡܫܡܫܢܐ, diaconus, jud. שַׁמָּשׁ, שַׁמָּע, minister synagogae; ܕܝܪܐ, coenobium, jud. spec. casa pastorum vel hospitium; ܡܕܪܫܐ, hymnus, jud. spec. commentarius, quo profundior scripturae sensus eruitur; ܩܢܘܡܐ, hypostasis, persona trinitatis, jud. spec. cognomentum voti, quo quid stabilitur *(Kol Nidre)*; ܐܣܝܪܐ, monachus (sicut abilo, dairojo, jechidojo), jud. captivus, etc. Quare in linguae syriacae collatione diligentissime providendum ac praecavendum est, ne significata vocabulorum, quae syriasmus ab ecclesia accepit vel ab hellenismo mutuatus est, ad nativas hebraicarum vocum potestates definiendas adhibeas, ac ne quam vocabuli significationem, quae in syriaca lingua vel intercidit vel nunquam percrebuit, suspectam habeas, et, ut brevi complectar, in usu syriacae linguae contraria observa omnium eorum, quae Jo. David. Michaelis perversissime proposuit. Ad veteres quod attinet, in Gemara, quae linguam aramaicam ejusque dialectos non raro adhibet, lingua syriaca (לשון סורסי) nonnisi semel nominatim confertur, a quodam Josia (Pesahim 61, a), qui v. כֹּם (ἅπαξ λεγ. Ex. 12, 4.), collato syriaco ܢܟܘܣ (imper. ܟܘܣ), quasi vi mactandi dictum interpretatur contra consensum antiquitatis, quae huic verbo concordissime vim numerandi tribuit, unde syr. ܡܟܣܐ, vectigal, hebraico מֶכֶם par atque aequale. Inter Syros vero *Isa ben-Ali* et *Bar-Bahlul,* lexicographi illustri popularium laude celebrati, summam hebraici sermonis inscitiam produnt, sed tamen nonnulla vocabula hebraica, quae *Peshitho* retinuit et civitate syriaca donavit, ita explicant, ut cum syriaco vocabulo si-

mul hebraicum illustrent. Superest, ut nosmet ipsi dialectorum aramaicarum, quas breviter recensuimus, valorem ad linguam sanctam investigandam aliquot exemplis demonstremus. Primum igitur sunt permulta vocabula, quae in scriptura sacra vel semel tantummodo vel perraro occurrunt, quorum significatio ex aramaico sermone ea frequentante facile colligi potest, e. c. גָּרַד (semel *Hitpa.* Job. 2, 8.), targ. et talm. גְּרַד, קְרַד, ab*rad*ere, unde גַּרְדָן, scabiosus, גְּרִידָא (גְּרִידִי) adv. nude, simpliciter, solummodo, et derivata alia, syr. ܓܪܕ (quo in verbo cavendum est, ne cum significatione r a d-endi significationes r e t-iendi s. texendi et c o r t-icandi s. cortice obducendi confundas); — דָּךְ (semel Num. 11, 8), targ. et gem. דָּךְ, redupl. דַּכְדֵּךְ, conculcare, contundere, unde דּוּכִי (Jonat.), מְדוּכָא, mortarium; דּוּךְ (Sohar: דּוּךְ פְּלָן, ὁ δεῖνα τόπος), דּוּכָא (def. דּוּכְתָּא, plur. gemar. דּוּכְתִּין), locus, vestigium, syr. ܕܘܟ, ܕܘܟܐ (quod Bernsteinius ex Graeco desumtum esse comminiscitur); — דָּלַח (nonnisi Ez. XXXII.), syr. ܕܠܚ, turbare (=אָ־לַח), ubi aramaismus paraphrasium tantummodo vim expavescendi habet (per metathesin v. דְּחַל); — זָבַד (semel Gen. 30, 20., ubi Hierosolymitanus et Syrus id ipsum verbum retinent), syr. ܙܒܘܕܐ, affectio (Bernstein, Chrestom. p. 217.), zab. זְבַד, dare, vi latissima, palmyr. זבדלא (hebr. זַבְדִּיאֵל), n. pr., donum Dei (Inscr. Palmyr. IV); — זָהַם (semel *Pi.* Job. 33, 20.), targ. et talm., lutulentum, sordidum esse, veluti de sudore et stercore, zab. de foetore aquarum putrescentium, indeque זְיהוּמָא, זוּהַם, velut gemar. זוּהֲמָא דְשִׁמְשָׁא, adnubilatio solis (Codd. alii: זִיהֲרָא), sohar. זוּהֲמָא דְדַהֲבָא, sordities auri (tropice, alias: קְלָפָא, סוּסְפִּיתָא), טִיסָא דְזוּהֲמָא, natatio spumae (in olla), syr. ܙܗܘܡ, putidus, foetidus, ܙܗܡܬܐ, spuma

etc.; — זַן (Ps. 144, 13. pl. זְנִים 2 Chr. 16, 14.), targ. et talm., species (pl. vulg. זְנֵי), sohar. זִין (זִינָא לְזִינֵהּ), זַן (זְנֵהּ בִּפְםּ, secundum speciem suam), pl. זִינִין, זְנֵי, syr. ܙܢ, vi latissima et multimodis adverbialiter; — חִסֵּד (semel Prov. 25, 10.), targ. חַסֵּד, invidiose s. contumeliose tractare (= חֵרֵף, unde חִסְדָּא, חִסּוּד = חֶרְפָּה), syr. *Qal* et *Pa.* ܚܣܕ, vi intenta; — סָמַן (semel *Ni.* Jes. 28, 25.), targ. et talm. סַמֵּן (prt. pass. מְסַמַּן, boni ominis), designare, unde סִמָּן (masor. et kabal. sensu peculiari), סִמְיוֹן, סִימוּ, סִימָא, *σημ-εῖον* (quod eidem radici innititur); — שָׁלַב (semel *Pu.* Ex. 26, 17.), conjungere, targ. שַׁלֵּב (Hierosol. secundum Aruk: שַׁלְוֵשׁ), unde שְׁלַב, שְׁלִיב, junctura scalae h. e. gradus, galil. שְׁלוּבָא (Isaaki ad Erubin 53), vicina (vulg. שְׁבֵנָא, שְׁבָבִית). Sunt porro vocabula in scriptura sacra perrara, quorum significatio, assumta interna comparatione, ex analogis aramaicis definiri potest, e. c. חַלָּמוּת (semel Job. 6, 6.), nomen herbae saporem fatuum aut nullum habentis, syr. ܚܠܡܝܢ (quod Arabs recte vertit حمقا, fatua h. e. portulaca), talm. חַלָּמִית (hierosol. חַלָּמָה), malva (*μαλάχη*); כֶּלַח (bis Job. 5, 26. 30, 2.), talm. קֶלַח, caulis vel culmus, viridis ille ac succulentus, vigoris ac firmitatis simulacrum; סַהַר (semel Cant. 7, 3.), rotunditas, veluti crateris (cui umbilicus comparatur), gem. סָהָר, maceria circa caulam, samarit. סאהר adverb., circumcirca, a v. סָהַר = סְחַר circuire, aram. סְחַר, unde sohar. סַחְרָנָא דְּבוּסִיטָא, ambitus faciei. Satis magna est etiam nominum verbalium copia, quorum radicem in lingua hebraica veteri plane inusitatam sermo aramaicus creberrime usurpat, ita ut nativae eorum significationis (praesertim adstipulante domestica collatione) optimus interpres haberi possit. Exempla sunt nmm. בֹּסֶר, בֶּסֶר,

omphax h. e. uva gustatu acerba et immatura (gr. *βότρυς*, botrus, botryo, ex aram. בּוּתַר = בּוּסַר, de uva in universum, quemadmodum פַּג, ficus serotina et duricoria, lat. fic-us, *σῦκ-ον*, hisp. higo, de ficu in universum), a v. inusit. בָּסַר, aram. בְּסַר (= שְׂאַר, unde שְׂאֹר, aram. סְאֹר ac סִיאוּר, סוּר, sensu morali, sicut *ζύμη* in N. T., cf. LXX. ad Jerem. 2, 21.), h. e., acidum (sauer), immaturum, viride esse, unde translata vi nativa, sicut ܒܣܪ, de morali acerbitate atque asperitate (בְּסִירוּ, בַּסְרָנוּ, et praeterea compluribus in derivv.), et, praeponderata secundaria viriditatis notione, בְּסִיר, spica viridis (Hieros. Ex. 9, 31. = אָבִיב), sohar. etiam de foliis viridis ac recentibus; — נְאֻם (abs. inus. נָאֻם), edictum, pronuntiatum, oraculum, a v. inus. נָאַם (nam Jer. 23, 31. denomin. est paronomasiae ergo usurpatum), gemar. נוּמֵי, dixit, נוּמֵיתִי, dixi, נָמִינוּ, diximus (v. Aruk נם I), pijut. נָאַמְתָּ, נַמְתָּ et sic porro; — נֹפֶת m. (ad s. f. בֹּשֶׂם), mel acoeton, nomen jam talmudistis obscurum (Sotha 49.), a v. נָפַת (unde hierosol. נַפְתַי, *ναφθοπώλης*) = נְפַט (unde נְפַט, נֶפְטָא, bitumen s. petroleum suaveolens, syr. ܢܦܛܐ, unguentum, naphtha, babyl. נֶפְטוֹי, naphthae venditor) = נְפַשׁ (unde ܢܦܫ, halitus, Gen. 1, 30., hebr. נָפַשׁ), quae verba omnia vi halandi, spec. suaves odores efflandi dicuntur; — מָתְנַיִם, lumbi, a v. inus. מָתַן, aram. מְתַן, protendere (vulgo vi exspectandi, sicut ܐܬܡܬܢ), deinde, translatione pervulgari, intr. protentum, firmum, robustum esse; — פֶּרֶךְ, oppressio s. afflictio violenta, a v. inus. פָּרַךְ, aram. פְּרַךְ, frang-ere (syr. redupl. ܦܪܦܟ, ad s. f. עַרְבֵּב, שַׂרְגֵּג, Systema §. 143), velut דַּהֲבָא אֱגוֹזִין נִפְרָכִין, nuces fractae, fragiles (אֱגוֹזֵי פָּרָךְ), פְּרִיכָא, aurum fragile s. netum, unde פֵּרוּכָן, grana contusa, et, addita diminutiva, פַּרְכִּיל, uva cum racemo

defracta, talm. פְּרַק significatione dialectica: effringere h. e. sciscitari, de quaestione, quae contradictionem contra ordinem vel pronuntiationem theseos involvit (פְּרוּכָא, opp. פְּרוּקָא, responsum, quo objectio talis diluitur). Restat, ut vocabula aliquot enumeremus, quorum potestas simul cum potestatibus derivatorum, adsumtis idiomatis aramaicis, invenitur; quibus exemplis insuper elucebit, in originibus linguae cujuslibet indagandis accurate perpendendum esse, a qua communi rerum contemplatione populi veteres in nominibus imponendis fuerint profecti. Verbum פָּרַע unum est de difficillimis propter significatuum varietatem, at si ex legibus vicissitudinum sonorum persuasus fueris, פָּרַע et פָּרַץ (sicut עָר et צַר, אָע et עֵץ) verbum idem esse, vi communi findendi s. rumpendi, difficultates omnes evanescent. Vis rumpendi transfertur ad effrenate, indomite, violente agendum (velut Jud. 5, 2., ubi status anarchiae depingitur), ad disturbandum vel perrumpendum h. e. dissolvendum (Ex. 32, 25), ac neohebr. et aram. ad irrumpendum h. e. ulciscendum, unde פּוּרְעָנוּת, vindicta, supplicium. Vis autem ingenita haec derivata procreavit: פְּרִיעַ aram., malleus, a findendo; פַּרְעֹשׁ (ar. פַּרְעֹם, ܦܘܪܥܬܢܐ, بُرْغُوث, unde aeth. פרעץ, v. denomin.), affixa terminatione sanscrito-semitica *os*, pulex, utpote cutem fidens ac fodicans, qui teneros morsu depascitur artus; et n. פֶּרַע (ar. פֵּרוּעַ), pilus h. e. aliquid scissi, diffissi ac peculiaris (unde פָּרַע v. denom., crines tondere, dissolvere, detegere). Nam si linguas priscas animo perlustras, pilos a tenuitate, et, ut ita dicam, singularitate nomen accepisse reperies, veluti crinis a v. cernendi (κρίνειν); pil-us a rad. sanscr. phal (dissecari, findi);

שֵׂעָר a v. שָׂעַר = שָׁעַר, findere, arab. ثَغَرَ (unde ثَغْر, fissura, seta); בִּינָא ,בִּינִי ,בָּנִי (*Kerake ha-Jam:* קְלִיעֲתָא = בניתא), aram., pilus (etiam de grano), a v. בָּן, diffindere, discindere (trop., sicut שָׁעַר, شَعَرَ, animo penetrare, penitus intelligere), cujus verbi nativa significatio superstes est etiam in nmm. בַּיִן (Aruk: בִּידוֹן, a perfodiendo, nisi cum Musafia *βάϊον*, insigne victoris, intelligendum est), et ut mihi videtur, in בִּין (pl. בִּינִי Gitin 69. b.), hirudo. Alterum exemplum esto v. פָּרַט, in scriptura sacra *ἅπαξ γεγραμμένον*, in lingua tum aramaica tum neohebraica usitatissimum. Ex lingua aramaica perspicitur, v. פְּרַט cum v. פְּרַץ cognatum esse (commutatis *Theth* et *Zade*, sicuti in טְהַר — צָהַר ,נְטַר — נָצַר ,טַל — צַל), idque vi discindendi s. dispertiendi, ex qua magna nominum et aramaicorum et neohebraicorum copia manavit, quae omnia aliquid peculiare, minutum vel speciatim enumeratum denotant, velut פְּרָט, particulare, exceptio (opp. כְּלָל, regula), notatio temporum h. e. aera etc., ܦܪܝܫ, separatus, distinctus (glossa arab. مفترق h. e. fissus), פְּרוּטָה ,פְּרִיט, nomen numuli (⅛ assis italici) vel guttulae aquarum s. seminis, פְּרוֹטְרוֹט pars minuta, etc. Inde etiam n. פֶּרֶט (Lev. 19, 10.), nomen acinorum, qui tempore vindemiae decidunt (unde v. denom. neohebr. פָּרַט, grana acinosve sigillatim legere, a v. פָּרַט, diffindere, in parti-culas dividere, cui cognata sunt vv. aram. פְּרַת (unde פְּרַת, פִּירַת, def. פּוּרְתָא, pars, frustum, adv. paullum; syr. redupl. ܦܪܬܘܬܐ), פְּרַד, (unde פְּרִידָא, lapillus, scrupus; פְּרַד, pars malogranati dissecati), et, uti jam indicavi, פְּרַץ (unde פּוּרְצָן, פַּרְצִיד ad s. f. פַּרְקִיד, acinus, granum, veluti פַּרְצִידָא דְרוּמָּנָא סוּמָּקָא). Inde etiam illud Amosi: הַפֹּרְטִים עַל־פִּי הַנָּבֶל (6, 5), quod neque

Menahem (cantum intervallis aequalibus numerose metiri s. minutatim distinguere) neque *Abulwalid* (نثر, glossema talmudicum ad n. פֶּרֶט Pea VII. secutus) recte explicuit. Nam v. פָּרַט etiam in hac dictione vim suam nativam retinuit et significationem habet divellendi s. diducendi, sc. labia (syn. פָּתָה, פָּשַׂק שְׂפָתָיו, הִפְטִיר בְּשָׂפָה; פְּצִי פֶם, פָּצָה פֶּה), sicut aram. פְּרַט, vel addito vel omisso סִפְוָן, e. c. Qama 117, a. פְּרִיטָן סִפְוָתֵיהּ; Eka Rabati II, 10. יָתְבִין וְקָא מְפָרְטִין בִּנְבוּכַד נֶצַּר h. e. subsidebant et diducebant labia (qui est gestus irridentium) contra Nebukadnezarem. Hac ipsa vi arab. فرط (balbutire, effutire), quod Gesenius contulit, dici videtur. Vertendum est igitur: vos, qui ad nablii fides labia diducitis (iron. pro: canitis) et instrumenta vestra instar psalterii davidici habetis (v. Shorashim s. פרט). Et haec quidem de comparatione linguae aramaicae, cujus cognitio non sine magno detrimento scrutatorem hebraicae linguae deficiet, satis dicta sunto.

Consequitur, ut de usu *arabicae* linguae nonnulla disseram, quae, etiamsi linguâ hebraicâ prope nulla in re superior, tamen propter majorem et radicum copiam et cultus libertatem proxime accedit, ut secunda sit ad hebraicam illustrandam. At ne investigatio linguae ad scholam Schultensianam, praecipitem illam ac deviam, revolvatur, necesse est nobis, arabicae linguae aetatem, speciem, indolem considerare accuratius. De aetate, incognitum est, quonam tempore arabica lingua ex communi semitismi stirpe emerserit; nam vestigia articuli arabici in scriptura sacra (velut אַלְמוֹדָד, אַלְגּוּמִּים, אֶלְגָּבִישׁ, אֶלְעָלֵא, אַלְקוּם etc.) parum probant, et, quod nuper quidam conjecerunt, Alexandrinos interpretes glosse-

mata complurium vobabulorum hebraicorum de arabico desumsisse, inscitia vel neohebraicae vel aramaicae linguae factum est. — Deinde himjaritica dialectus (عربية حمير), aethiopicae magisque etiam, ut videtur, hebraicae consimilis, qua Joktanidae e genere Sabaeorum, quamdiu Arabicam inferiorem obtinerent, usi sunt, superstes relicta non est, si paucula ejus reliquias apud arabicos scriptores, in carminibus inscriptionibusque vetustis [1]), in talmudibus [2]) et fortasse corrupta illa vocabula excepe-

[1]) Horum disjectorum membrorum, quae nondum quisquam vel diligenter collegit vel sagaciter examinavit, nonnulla sunt haec: v. وثب, considere (qua vi, expresso discrimine, vulgo dicitur وثب, Pocock. Specimen p. 141. ex 'Gauhario et Firuzabadio); مقاول, principes (in disticho pervetusto apud Schultens. Monumenta p. 11., teste 'Gauhari, qui regem himjaritice قيل, reginam قيلة dici observat, a v. قال, καλεῖν, conj. trans. κελεύειν); معافر, blandus, cognomen prisci regis *Jemanae* (quod Schultens, a 'Gauhario seductus, male cum v. عفر, pulvereum esse, conglutinavit), a v. ע־פר (עֹפֶרֶת), sicut سفر IV. et neohebr. הִסְבִּיר פָּנִים, de vultu nitente atque hilari; سلمة, teste 'Gauhario, lapis (cf. hebr. חַלָּמִישׁ, אַחְלָמָה). Alia vocabula himjaritica, quae in *Qamuso* notata sunt, invenies apud Golium col. 312. 471. 651. 1416. 2033. 2509. (v. Eichhorn, de dialectis variis linguae arabicae, Lips. 1779). De inscriptionibus jemenensibus v. *Niebuhr,* Descriptio Arabiae p. 94. *Seetzen*, Fundgruben des Orients II. p. 282. et de alphabeto himjarensi, *Rödiger,* in: Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes I. 3. p. 232. ss.

[2]) Inter vocabula arabica, quae, uti jam indicavi, in talmudibus midrasisque conferuntur, multa sunt arabismi *koraisensis* etiamnunc propria, velut عيل, neoarab. عايل (בערביא צווחין לינוקא עוילה Gen. Raba c. 36. ad Job. 21, 11.); فتى (בערביא צווחין למינוקא פתיא, ib. c. 87. ad Prov.

ceperis, quae arabica appellat in Historia Naturali

7, 7. LXX. quinquies: *νηπίον*); كسّ, valide contundere (ib. c. 79. ubi ad Mal. 3, 21. scriptum est: Rabini quidam obliti erant vocabulorum paraphrasis, accesserunt igitur ad Arabem quemdam, ut inde ea discerent. Audierunt eum dicentem etc.); لحم, caro (בערביא קורין לבשרא לחמא, Ex. Raba c. 42. ad Zefanja 1, 17.); بعد, desistere (= רוח, Cant. Raba, 4, 1.). Ad veterem autem arabismum et, ut quidem ego conjicio, ad himjarensem pertinent ea vocabula arabica et africana, quae in lingua Arabum et Aethiopum sequiori et hodierna non inveniuntur, velut יובלא, aries (teste Akiba, b. Rosh ha-Shana 26, a.), קשיטה, moneta (teste Akiba, qui hoc vocabulum se in Africa audiisse narrat, ibid., ubi Aruk et Isaaki ad Gen. 33, 19. pro לאפריקי legunt בכרכי הים, cf. Gen. Raba 89, b.), יהב, onus (in ore mercatoris arabici, qui in narratione paulum divergente Rosh ha-Shana 26, b. טייע, *Taijensis*, deinde Arabs generatim, Gen. Raba 89, a. הגרא דערביא nominatur); עתירתא, perfossio, irruptio (בערביא קורין להתירתא עתירתא, Gen. Raba c. 63. ad Gen. 25, 21.); סביא, propheta (בערביא קורין לנביא סביא, Lev. Raba c. 1. ad 1 Chr. 4, 18.); סבויא, gallus gallinaceus (בערביא צווחין לתרנגולתא סבויא, ib. c. 25. ad Job. 38, 36., cf. Rosh ha-Shana l. l., ubi gallus in תחום קן נשריא *Sekvi* dici perhibetur); פת, duo (b. Sanhedr. f. 7, 6., ubi Akiba narrat: טט בכתפי שתים פת באפריקי שתים. Nec sine causa suspicari possumus, vocabula aliquot, quae in urbibus maritimis usitata fuisse dicuntur, arabismi veterrimi propria fuisse. Nam cum פתיא etiamnunc arabice infantem significet, quod vocabulum, uti Gen. Raba 97, b. in *Arabia*, sic Sanhedrin 110, b. in urbibus maritimis usurpari dicitur, quidni etiam cetera vocabula eo nomine prolata prisce arabica esse poterunt, veluti כרום, nomen avis sole lucente discoloris (b. Berakot 18, a. Rab Dimi ad Ps. 12, 9. עוף אחד יש בכרכי הים ושמו כרום וכיון שחמה זורחת עליו מתהפך לכמה גוונין); בנייתא, plexus capillorum (= קליעתא Berakot c. IX. Simon ben-Menasia ad Gen. 2, 22; cf. Nida V. f. 45. Gen. Raba XVIII, 2.); דרה, nomen gemmae, quocum radice, sed non significa-

Plinius [1]). Fortasse linguae arabicae speciem antiquam melius informare possemus, si inscriptiones illas rupibus peninsulae sinaiticae inscriptas, quibus *Wadi mukateb* repleta est, intelligeremus; siquidem hae charactere himjaritico *(al-Musnad)* exaratae et ad Arabes christianos seculi III. referendae videntur. Quodsi igitur de arabicae linguae comparatione agimus, sermonem illum *koraisiticum* s. *mekanum* intelligimus, qui, Himjaritis ex Arabia inferiori ejectis et in superiorem exulantibus, in summae linguae inter gentes Arabum diversas varietate, *κοινῆς διαλέκτου* auctoritatem adeptus est, et, Qurano ea dialecto consignato, praestantiae ac sanctimoniae palmam tulit. Quaecunque literarum reliquiae ex seculo II. usque ad V. aerae nostrae, quibus studia artium inter Arabes evigilarunt, nobis conservatae sunt (quae quidem praeter aliquot genealogias poesisque gnomicae, sacrae ac pseudopropheticae plane nullae sunt), cum satis diu ore, non scripto propagarentur, hujus dialecti stilo elimatae ac perpolitae, verborum formarumque priscam vetustatem amiserunt. Quidquid vero literarum his seculis posteriorum nobis relictum est, exceptis illis *Mualakat*, quae in cer-

tioneconcinit دُرّ, collect دُرَّة, nom. unitatis, margarita (Megila I f. 12. Samuel ad Ester 1, 6); בִּירָה, venditio (=מכירה Rosh ha-Shana 26, a. Akiba, cf. Isaaki Gen. 50, 5); גלמודה, mulier, quae est in menstruis (Sotha 42, a. Elazar ad Job. 15, 34. cf. Akiba l.l.: כשהלכתי לגליא היו קורין לנדה גלמודה).

[2]) H. N. V, 9. Aethiopum lingua astapus aquam significat e tenebris profluentem. VI, 28. Arabes siby vocant, Graeci apaten. Ib. riphearma, hordeum, emischabales, camelorum oppidum, mariaba caurarani, ditissimos armento. VI, 29. mulon (in quo vocabulo inest nunationis vestigium), hypaton. VI, 30. sapen, advenas. Sed evolvendi sunt codices, priusquam haec portenta sub acumen ingenii subire possint.

taminibus Okadensibus victoriam nactae sunt nonnullisque *Hamasae* carminibus, tam tenue atque exiguum est, ut in arabicis literis vix incunabula et rudimenta invenias eo tempore, quo lingua hebraica, calcem ac caementa ministrante aramaica, dudum ingentes literarum moles opere magnifico exstruxerat, quae in metarum maximarum modum, doctrinae immensae testes sempiternae, exsurgunt, in quibus Misnam, Gemaras, Toseftas, Mekiltam, Midrasum Masoramque veterem, ingentemque Barajtarum copiam satis habeo nominasse. Arabica igitur lingua, qualis ad nos pervenit, aetate multo minor est, quam hebraica, eaque ipsa de causa formâ externâ multum dispar, indole interna longissime diversa. Etenim lingua arabica, postquam a puerili infirmitate juvenilique ferocitate ad virilem gravitatem progressa, adolevit ac perfecta est, quemadmodum aetatum progressu aliae quoque linguae, specie externa limatior facta est, formis politior, notionibus adstrictior significationibusque multo subtilior et copiosior; pronuntiatione, natura ipsa favente, subtiliter distinxit potestatesque ejusdem verbi diversas acute secrevit (siquidem mira est hac in gente oris conformatio mira organorum solutio, gutturis structura, linguae volubilitas laterumque fortitudo), denique, quo majorem artium doctrinarumque profectus vocabulorum ubertatem requirerent, eo magis in novis vocabulis cum mutandis tum effingendis elaboravit, utpote quorum semina ad gignendum procreandumque valentissima ipsa contineret, ac, quasi e venis auri reconditis tantos thesauros explicuit, ut, si lexicographo *Elchalil* [1]) fides habenda sit, in aetatis flore,

[1]) *Mat. Norberg,* de fatis linguae arabicae (Opuscula II p. 237.)

12,305,412 vocabula (adnumeratis nempe derivatis) contineret. At cum hac ratione indies perfectior ingenio, elaboratior industria fieret, tantique apud ipsam vocabulorum acervi construerentur, vix ut pecunias suas numerare posset, necessitate quadam naturae evenit, ut a pristina atque originali puritate pedetentim nec opinato deficeret, ut, novatis innumeris vocabulis, potestates vocabulorum primitivas obliteraret eorumque etyma adeo inobscuraret atque obrueret, ut, ipsa eorum magis magisque immemor, amissorum memoriam sero, cum non posset, renovare cuperet. Nam „cum orta Muhamedis religione", inquit *Shems-ed-din*, „periculum exitii linguae arabicae immineret, jussit *Abu-Taleb* (m. c. 620), ut *Abu'l-Asvad* eam grammaticae regulis adstringeret." Hunc artis grammaticae parentem insecuti sunt *Saibuja* clarissimique *Kufensis* aut *Bazorensis* academiae doctores, qui, uti inter Judaeos Andalusii et Itali, de rebus grammaticis in controversia et contentione versabantur (مذهب الكوفيين والبصريين). Qui quidem omnes, licet sensu usuque linguae ut plurimum polleant, tamen in etymis omninoque rationibus linguae eruendis luminibus capti sunt. Huc accedit, quod lingua arabica primum in Arabia Felici, quae amoenitate ac fertilitate sua Judaeorum, Christianorum et Aethiopum colonias allexerat, peregrinarum linguarum corruptelis depravata puro Heg'azensium nativoque Beduinorum sermoni cessit, deinde quod, cum Muhamedani popularis linguae fines ad nationes devictas prorogarent, multa barbara elementa in se recepit, quae respuere non poterat, veluti in Aegypto (id quod in libro MI noctium solertissime demonstravit in Glossis Habichtianis *H. O. Fleischerus*); denique quod, cum Arabes do-

minationi ottomanicae succubuerunt, multum barbariae turcicae contraxit. Ad internam indolem quod attinet, tanta est inter linguam arabicam et hebraicam, quanta maxima esse potest, occupationum studiorumque distantia; quarum altera cum aperte humana sit, haec tota divinitatis cujusdam videtur. Adeo lex illa sinaitica per omnes quasi venas linguae hebraicae permanavit, quae doctrina divinitus accepta penitus tincta est mirificeque colorata. Quemadmodum uva succo terrae et calore solis augescit, sic lingua hebraica ubera divinae revelationis suxit et radiis divinae gratiae collustrata maturuit; quo factum est, ut lex, fides, et qui inde consequuntur, mores affectionesque ex lingua hebraica splendidissimo candore elucerent. Arabismus contra vetus imago est vitae nomadicae, solitariae ac bellicosae Arabum gentilium, quorum animi modo aramaicis superstitionibus occupati, modo omni religione vacui erant. Scatet vocabulis, quae ad rem bellicam et pecuariam pertinent, quibus deinceps, increbescente cum literarum cultu luxuria, accessit ingens multitudo vocum ac significationum, quas spurcissimae libidines progenuerunt. Reputa porro, quantum intervallum sit interjectum inter Israelitismum et Islamum. Namque Muhamed iste Qoraishensis, uti novam religionem introduxit, factus est etiam linguae novus quasi monetalis. Quare Muhamedani eum sicut credendi magistrum, ita dicendi artificem summum ac sanctissimum esse contendunt Qoranique vocabula tam exquisita, constructionem tam decoram esse putant, ut hoc perfectissimum arabici sermonis exemplar vel imitari plane non audeant vel imitatione sua exprimi posse pernegent. Constat vero, magnam vocabulorum partem vi Islami novas notiones accepisse, quarum vel ab-

stractiva vel disciplinaris significatio novae doctrinae (الايمان) ejusque praxi (الدين) responderet; sat magna quoque vocabulorum et phrasium, major etiam significationum copia, partim a Judaeis [1]) partim a Christianis [2]) mutuo sumta accessit, ita ut lingua ipsa religionis illum syncretismum diserte exprimeret. Quantas deinceps vicissitudines mutationesque lingua arabica experta est, *Sunna* accrescente, Qorano a scholiastis innumeris certatim explicato, et cum artes doctrinaeque omnes labente atque inclinato Ommajadarum imperio doctissimorum hominum aemulatione excolerentur, cum philosophia peripatetica et neoplatonica Islamum prope de gradu dejiceret sectaeque plurimae, ortis dissensionibus ac dissidiis maximis, sibi adversarentur! Est haec lingua vasti instar imperii, magnitudine immani, quod nisi pro portione in provincias descripseris, conspectu ac cogitatione nequaquam complectere. Quod cum nondum factum sit, lexica nostra arabica immensam et interminatam in omnes partes regionum magnitudinem comprehendere satagunt, quarum nulla est ora, nulla extremitas; vocabula omnium aetatum omniumque disciplinarum quarum singulae singularia lexica requirunt, perturbata atque confusa

[1]) Inter vocabula, quae a Judaeis ad Arabes transiisse dubium non est, sunt haec: taurai-t-a (תּוֹרָה, אוֹרָיְתָא); g'innatu adnin (גַּנְּתָא דְעֵדֶן גַּנַּת עֵדֶן); g'ahannam (גֵּיהִנֹּם), achbâr (חֲבֵרִים, חַבְרַיָּא); sabt-on; sakina (שְׁכִינָה); tâbût (תֵּיבוּתָא); malakut (מַלְכוּת); thâg'hut (טָעוּת). Etiam darasa et furqân, etsi aliquantum eorum potestas immutata est, a Judaeis videntur esse desumta. *V. Geiger*, Was hat Mohammed aus dem Judenthume aufgenommen (1833.).

[2]) A Syris desumtum est v. c. abîl, asceta, monachus, unde abilu al-abilîna, asceta summus (cognomen Christi apud Moslimos).

sunt; prisca et nova, mere poetica et prosaica, dialectica et communia, vocabula ab uno alteroque scholiasta efficta et vulgaria, primitiva et derivata, domestica et aliis ex linguis assumta adeo permixta sunt, ut, in hanc rudem indigestamque sylvam si intueare, vertigine corripiaris et in orbem velut aliquo turbine circumagaris. Hinc accidit, ut conjectorem, si quid ingenioli habet, lexicon arabicum in vocabulis hebraicis explicandis nunquam deserat, ut, quodcunque praejudicium fulcire cupit, abunde confirmet, ut exegetae ad singula vocabula hebraica significationes suppeditet, quas, utcunque reluctante hebraicae linguae natura, in textum sacrum inferciat, ut obrutis verborum radicibus emphases inculcet, quae uni vocabulo insitae esse plane nequeunt. Quare lingua arabica, quae aetate, forma atque indole adeo discrepat, nonnisi suspecte ac solicite comparari poterit, et cum plus etiam luce, quam hebraica, egeat, hac cauta comparatione ipsa non minus, quam hebraica, lucrabitur. „Nam ut Arabum lingua ditissima et purissima“ (liceat verbis *Ewaldi* uti, qui novam viam ad linguam arabicam indagandam munivit) multa ex antiquitate remota servavit, quae vel in hebraea minus integra sunt ac perspicua: ita rursus antiquior et quae antiquitati in universum fidelior mansit, censenda est hebraea, ut arabicae indolem et causas nemo possit tutius et verius intellectas explicare, quam qui hebraeae linguae sit gnarissimus. Aramaea autem dialectus pauper et ipsa hebraeâ serior multa habet arabicae similia, ut linguas temporis progressu mutationes pati necessarias et constantes videas.“ Non est controversum, linguam arabicam antiquas aliquot verborum hebraicorum radices nobis conservasse, velut جَاَى, tegere, protegere (ad n. גְּ

ortum, ut mihi videtur, ex v. redupl. gâgâ); وَحْوَحَ, vociferari (ad v. צָוַח Jes. 42, 11.); مَرْمَرَ (مَرَّ), facere, ut quid fluat, sanscr. mar, gr. μύρ-ειν, μορ-μύρ-ειν (ad nmm. מַר, מֹר). Positum est extra omnem dubitationem, linguam arabicam nonnullorum verborum potestates primitivas inviolatas exhibere, velut جَلَّ, humi sternere, per-cell-ere, sanscr. kalaj (ad hebr. חָלָה, morbo decumbere); غَرَبَ, caligare, de solis occasu (ad hebr. אָפֵל, עֶרֶב) et de peregrinatione in loca remota et quasi caligine circumfusa (cf. מַלְכֵי עֶרֶב Jer. 25, 24., ubi egregie vertit Arabs, LXX. secutus: وَجَمِيعَ مُلُوك آلقَبَايل آلغَرِيبَة). Verum est etiam, aliquot verba, quorum in scriptura sacra nonnisi derivata reperiuntur, in arabica lingua superesse, velut أَفَلَ, occidere, de sole (ad אֹפֶל, אֲפֵלָה); كَتَمَ, abdere (ad מִכְתָּם, quod vide in Concordd.); كَلَّ, vi coronandi (مُكَلَّلٌ, coronatus, ad n. כַּלָּה, coronata h. e. sponsa). Nihilominus negari nequit, magnam cautionem adhibendam esse, ne his ejus linguae virtutibus seducaris modumque excedas. Cavendum est, ne verba arabica ab alia plane radice oriunda hebraicis ejusdem literis constantibus pares atque aequales habeas, uti verbum أَبَسَ, vi vel conculcandi et contemnendi (sanscr. pad, hebr. בָּם, בָּזָה, gr. πατ-εῖν) vel ligandi ac vinciendi (sanscr. was, paç, hebr. חָ־בַשׁ, לָ־בַשׁ, gr. Fεσ-) hebraico אָ־בַם, vi saginandi (gr. πατ-εῖσθαι, φάτ-νη, cf. Pott I. p. 188), et ne significationes recens ortas ac proinde vel magis speciales vel magis emphaticas ver-

bis iisdem hebraicis, quae monumenta antiquissima exhibent, affingas, veluti vim diligenter studioseque elaborandi, quam habet v. دَأَبَ, verbo דָּאַב, tab-escere, tep-ere, sanscr. tap; vim limis oculis adspiciendi, quam decursu temporis accepit v. دَلَّ, verbo דָּל, sublatum, pendulum esse, sanscr. tul, gr. *τλᾶν*, *ταλαντεύειν*; vim arandi, quam speciatim habet v. خَدَّ, verbo חַד, sanscr. kad, a-cu-tum esse; vim diligenter explorandi, quam translate habet v. نَطَسَ (*ἐξετάζειν*), verbo נָ־טַשׁ, sanscr. tas, gr. *τάζειν*; vim lentiscendi, quam offert v. أَرَكَ, verbo אָ־רַךְ, por-rectum esse, sanscr. ritsh. Providendum est inprimis, ne verbis denominativis, quorum ingenti multitudine redundat lingua tum arabica tum aethiopica, ad hebraica primitiva explicanda abutare: quae abusio etiamnunc pervulgaris est. Sunt, qui n. hebr. אָתוֹן, as-inus, deducant a v. arab. أَتَنَ (gressus asininos facere); n. גּוֹזָל, columbula (a v. גָּז = עָז, חָשׁ, עָשׁ, volare) a v. جَزَلَ (pipire instar pulli columbini, *Qam.*); n. דֹּמֶן, stercus, a v. دَمَنَ (stercorare); n. סְתָו, tempus standi i. e. aquarum in campis stagnantium, hiems, a v. شَتَا (hibernare); n. מִנְחָה [1]), donum, a v. مَنَحَ (donare), et, ut aethiopicae linguae

[1]] Simson Naqdan f. 6, b. שרשו נחה. מן לֵךְ נְחֵה ולפי שנוהגים אותה קרויה מנחה ואם כן אין הכלל ממנו מְנָחוֹת כמו שנוהגו בתלמוד לקרוא המ"ם בשוא כי אם בחירק מִנְחוֹת כמו מן מקנה מִקְנוֹת ומן משנה מִשְׁנוֹת כי לא יאמר מנחות המ"ם בשוא ואע"כ המ"ם בו שורש כמו שמלה שְׂמָלוֹת ומן שפחה שְׁפָחוֹת ומן כבשה כְּבָשׂוֹת כן יאמר מן מנחה מְנָחוֹת אילו היה המ"ם בו שורש ואינו רק תוספת:

abusum aliquot certe exemplis demonstrem, n. חֵךְ (rad. חַךְ = לְ־קַח, apprehendere, percipere) a v. aeth. chanaka (gustare); n. לְחִי (rad. לָחָה, propullulare, de lanugine) a v. lahaja (καλλιπάρηον εἶναι); n. כְּתֹנֶת, vestis (rad. כָּ־תַן = אָ־טַן) a v. kadana (vestire); n. מַקֵּל, bacul-us (aeth. baquala, baquela) a v. tabaqala (baculo percutere). Apparet, provide timideque in linguae arabicae comparatione esse versandum. Sed, ne, his limitibus positis, de auctoritate linguae arabicae quid detrahere videar, adjungam duodecim exempla ex Concordantiis collecta, in quibus usus linguae arabicae paene singularis conspicitur: 1) בוֹלֵס, semel Amos 7, 14., v. denom., ortum a n. בָּלָס, بَلَسٌ, arab. et aeth. ficus, sycomoron (cf. gr. φήληξ; παλάθη, Hesych.: ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις καὶ μάζα), quod nomen nusquam in gemaris legitur; nam בּוֹלְבִּיסִין (j. Demai II) est gr. βολβός; פִּיבְלוּסִין, corr. בְּלַפְסִין, בְּלוּפְסִין, gr. φιβαλέον σῦκον (מינא דתאיני Nedarim 49, b.), uti dudum suspicatus est *Dionysius;* 2) גָּלַשׁ Cant. 4, 1., quod non melius explicari potest, quam collato v. arab جَلَسَ, sedere, considere, discumbere, in loca elatiora pedetentim ascendere (f. חָלַשׁ, حَلِسٌ prosternens, h. e., fortis); nam inepte collatum est a veteribus v. aram. גְּלַשׁ, glabrare, tondere, et ab Abulwalido v. arab. غَلَّسَ, cedente nocte aliquid facere (הִשְׁכִּים), unde غَلَسٌ (Qimchi: שַׁחַר); 3) דְּבִיר, pars postica s. adytum templi, a v. דָּבַר, دَبَرَ, pone, ad occidentem situm esse, unde دَابِرٌ, postremus, دُبْرٌ, pars posterior (gem. דּוּבָּר, Berakot 6, b. ברובר קיימת קמי מרך, retror-

sum h. e. pone synagogam stetisti coram domino tuo, ubi Aruk scite confert arab. לַאֲחוֹרַנִּית=مُسْتَدْبِرًا; 4) הָבַר, semel Jes. 47, 13., ubi jam Qimchi confert arab. هَبَرَ (דומה לו בלשון הערבי שקורין לחתוך הדבר אלה"כרם), hebr. בָּרָא, בָּרָה, ita ut הֹבְרֵי שָׁמַיִם sint augures vel coelum dispertientes vel ex notatione coeli decidentes, quae interpretatio praeferenda est glossemati *Jonatani:* מַסְכָן לְמַזָּלַת שְׁמַיָּא et *Menahemi:* מבררי הליכות המזלות; 5) הֲדַס (הֲדַסָּה n. pr.), myrthus, jemenitice هَدَس, alias آسٌ, gemar. אָסָא (quo vocabulo antiquius illud explicatur, v. Trg. utrumque ad Est. 2, 7.), unde gr. αἴσακος, frons myrthinus; 6) הָזָה, semel Jes. 56, 10., arab. هَذَا, هَذَى, delire loqui vel aegrotantem vel somniantem, unde هُذًا, delirium (v. Qimchi s. r. הזה), quo tendit jam glossema *Ibn-Librathi:* נרדמים שוכבין et usus nominis הֱזָיָה apud *Musam Maimuni,* More Nebukim praef. et II, 36., ubi recte commentarii auctor; 7) הָמַר, fervere, ardere; effervescere, fermentare; hinc adustum, et de colore: vel fuscum vel purpureum esse, quarum significationum veritas et nexus optime perspicitur ex comparatione vv. arab. خَمَرَ et حَمَرَ (v. Gesenium s. v. חמר), unde n. imperfectivum يَحْمُورٌ, onager, a colore subrufo, hebr. יַחְמוּר; 8) יָאַשׁ, desistere ab aliqua re, desperare, arab. يَأَسَ et transp. أَيِسَ; 9) לָחוּם, semel Zef. 1, 17. (sec. Ibn-Ezram etiam Job. 20, 23.), ubi jam veteres, assentiente traditione, comparant arab. لَحْمٌ, caro (لُحُومٌ, carnes), veluti Aruk s. לחם 2, Isaaki ad h. l.: לשון ערבי בשר קורין אל לחם; 10) מֶגֶד,

מִגְדָּנוֹת, ad quae nomm. tantummodo arabica lingua v. offert مَجَدَ, superiorem, praestantem, gloriandum esse (unde مَجِدَ, valde honoratus, clarus; مَجْدٌ, honos, gloria, adorea); nam nmm. aramaica מִגְדָּן, מִגְדָּנִין et neohebr. מִינֵי מְגָדִים (genera fructuum) ex vocabulis istis prisce hebraicis expressa sunt; 11) נָלָה semel Jes. 33, 1., arab. نَالَ med. Je, perficere, assequi (Qimchi: השלים), et inde, uti jam observat Menahem, n. מִנְלֶה semel Job. 15, 29., arab. مَنَالٌ, opes, facultates, divitiae (nisi rectius Qimchi: תכליתם והשלמתם et Gersuni: שְׁלֵמוּת), quibus in vocabulis exponendis lingua arabica opus esse jam veteres intellexerunt (v. Isaaki et Ibn-Ezram); 12) פָּז (פזז), quod v. vim vel secernendo purgandi (unde hebr. זָהָב מוּפָז = פָּז, aram. פִּזָּא, פִּזוּז) vel saliendi et cum agilitate se movendi (unde פִּזֵּז = רַקֵּד, aram. פְּזִיז, festinans, פְּזִיזוּ, festinantia) habet, prout vel arabico فَضَّ (unde فِضَّةٌ, argentum) vel arabico فَزَّ (unde فَزٌّ, vir levis s. agilis) respondet (v. Gesen. et Concordd. s. r. פז). In his liceat substitisse; nam de arabicae linguae comparatione satis dictum habeo.

Consocianda est cum arabicae linguae collatione neohebraicae, quae ejus simillima maximeque gemina est, comparatio. Namque lingua neohebraica (quam rabinicam insulse dici nuper evicimus) veteris propagatio est atque soboles, quae, postquam aramaica, deinde arabica communem vitam vulgaremque populi consuetudinem occupavit, luxuriosissime frondescens ac fruticans in omni genere artium literarumque obtinuit. Haec lingua ejus ipsius populi est, cujus linguam priscam explicare nobis propositum est; haec, quotquot circulos orbesque confecit,

circum unicum illud veteris hebraismi monumentum quasi axem suam versata est, scripturam sacram Veteris Testamenti dico, quae Oceani instar fuit, unde omnis annium illius vis fontiumque cursus initium capiebant, et quo rursus multis capitibus confluebant. Etiamsi longius aetate progressa, longius etiam forma atque indole ab antiquo suo exemplari discessit, tamen ea re arabicae non est postponenda, quae et ipsa multas mutationes habuit et cui insuper propositum non erat vetus atque imitatione dignum exemplar, quo ad semet ipsam renovandam rediret et unde, quantum antiquitatis retinuerit, definiri possit. Deinde lingua neohebraica, quantum e literis nobis conservatis perspici potest, arabicam aetate multum superat. Quae res cum argumentis non egeat, libet tamen nonnulla adducere, quae neque ab hoc loco aliena sunt, neque ab ullo, quoad scio, adhuc allata. Primum enim Alexandrinos interpretes, quos e Palaestina oriundos esse ex *Hagadae* et *Halakae* patriae usu atque cognitione apparet, quemadmodum aramaicam [1]), sic etiam neohebraicam ad Vetus Testamentum explicandum usurpavisse ejusque usu passim in errores incidisse video; unde confici arbitror, linguam hebraicam, quam jam in libro canonis recentissimo h. e. Chronicis [2])

[1]) 1 Reg. 1, 18. מַפְרֶקֶת, *νῶτος* (gem. פַּרְקִ־יד, dorsum); Jer. 2, 22. נִכְתָּם, *κεκηλίδωσαι* (כְּתִים, maculatus; כְּתַם, macula); Ps. 60, 10. סִיר רַחְצִי, *λέβης τῆς ἐλπίδος μου* (רְחַץ, sperare); Jes. 53, 10. דַּכְּאוֹ, *καθαρίσαι αὐτόν* (דְּכָא = זְכָה, purum esse); ib. 30, 13. נִבְעֶה, *παραχρῆμα* (בְּעַע, properare); Prov. 31, 3. לַמְחוֹת מְלָכִין, *εἰς ὑστεροβουλίαν* (מְלַךְ, consultare); Dan. 2, 15. מְהַחְצְפָא, *ἀναιδής* (targ. חֲצַף, impudentem esse) et sic porro.

[2]) Vocabula Chronistae propria et simul neohebraica sunt:

de statu suo pristino declinantem videmus, tribus duobusve seculis ante Dominum natum tantam conversionem esse expertam, ut neohebraicae nomine ab antiqua discerni oporteat. Exempla sunt v. חָשׁ, hebr. fugere vel commotum esse, quod interdum ad similitudinem significationis percipiendi s. sentiendi neohebraicae εἰςακούειν, προσέχειν vertunt; n. רֶגֶשׁ Ps. 55, 15., quod ὁμόνοια (=לֵב Ps. 83, 5.) vertunt, non ad aram. רְגַשׁ, strepere, sed ad neohebr. הִרְגִּישׁ, הֶרְגֵּשׁ, הַרְגָּשָׁה (sentire, sensus) respicientes; n. קֹטֶב, Hos. 13, 14., ubi transferunt κέντρον (1 Cor. 15, 55. minime inverso ordine: τὸ νῖκος), assentiente neohebr. קֹטֶב, geographice: polus, arab. قُطْبٌ, etiam: cuspis; נָצוּר 1 Reg. 23, 8., διαγράψωμεν, ad simil. neohebraici צָר, fingere, pingere, unde צַיָּר, pictor; בַּעֲלִיל Ps. 12, 7. δοκίμιον (τῇ γῇ), convenienter neohebraico עֲלִיל, quod Rosh ha-Shana 21, b. sic explicatur: מאי משמע דהאי עליל לישנא דמיגלי הוא; כְּמַעַר 1 Reg. 7, 36., ἐχόμενος, cui interpretamento subest neohebr. עָרָה (syn. חִבֵּר, דָּבַק), de quo v. Qimchium s. v. ערה, etc. Necesse quidem erat, ex pentateucho exempla depromere, at ea re tanto magis supersedendum judicavi, quo ardentius *Zachariam Frankelium*, virum eruditissimum, lucubrationes suas de LXXII. interpretibus (quos solam legem transtulisse memoriae proditum est) et omnino de Alexandrinis brevi editurum spero. *Philo* Alexandrinus, cui etyma nominum propriorum enodanti textus non inter-

מִדְרָשׁ, גּוּפָה (LXX. βιβλίον, γραφή), סֹפֵר (LXX. γραμματεύς, γραμματικός), צָרִיךְ, רְשׁוּת, תַּלְמִיד (LXX. μανθάνων). V. Zunz, G. V. Cap. II.

punctus et palaestinensi more pronunciatus [1])

[1]) De pronuntiatione *Philonis,* primum notandum est, eum in transcribendis nominibus Alexandrinos interpretes esse secutum, quorum pronuntiatio palaestinensis fuisse deprehenditur (etiamsi anomalias eas, quarum necessitatem graeca lingua attulit, omnes exceperis); deinde eum in eruendis nominum etymis ad complures errores, in quos caeco casu eum incidisse credideris, nonnullis pronuntiationis proprietatibus Alexandrinorum cum Palaestinensibus communibus adductum esse; in quibus sunt 1) pronunciatio triplex, quam etiam posteriori tempore apud Tiberienses habebat *Sheba,* primum ante literas אה״חע (ubi legitur ad vocalium his literis subjectarum similitudinem, et cito quidem; addito vero *Gaja,* productius), deinde ante *Jud* (semper ut *Chirek* breve, addito *Gaja,* ut *Chirek* productius), denique ante ceteras consonas (ubi sine exceptione fatahatur, addito *Gaja* prope *kamezatur*), quam doctrinam prolixius, quam ceteri grammatici, exposuit *Simon Naqdan,* Simsoni f. 8, a. — 2, pronunciatio *Qamezi* (= oa) tanquam ex *Cholem* et *Fatah* compositi, id quod vetusta ejus figura in Codd. mss. confirmatur. *Ibn-Ezra*, Zahot in. *Simsoni* f. 62, a. הפה נקמץ בקריאתו (ואינו נפתח כפ״ג) כאשר קוראים כל מלכות ספרד גם אנשי טבריא ואפריקי יודעים לקרוא קמץ גדול: Philonem hoc modo pronuntiasse consequitur ex nonnullis etymologiis, quas proponit, velut חֲנוּךְ, *χάρις σου* (= חִנָּךְ) I. p. 233. חָרָן, *τρώγλη* (חור) I. 465. כָּלֵב, *πᾶσα καρδία* I. 597. 3, pronuntiatio *Chethi,* quod non soli Galilaei et Samaritani, sed omnino Palaestinenses, in his Babyloniorum dissimiles, cum sono literae *He* saepiuscule commutabant, uti ex Gemara ostendit Rapoport, Qalir n. 10. Sic Philo quoque gutturales confundit, veluti חוּר, *φῶς* (=אוֹר) I. p. 96. בִּלְהָה, *κατάποσις* (=בִּלְעָה) I. 84. 523., eandemque confusionem inscriptiones et papyri in Aegypto reperti repraesentant, uti *Beerius* ostendet. 4, pronuntiatio literarum שׁ et שׂ, quas, ut sexcentis exemplis ex Gemara palaestinensi demonstrari potest (velut שמעון = סימון), Palaestinenses non satis discernebant Sic Philo: יִשְׂרָאֵל, *ὁρῶν θεόν* (a. v. שָׂר); שְׁמוּאֵל, *τεταμμένος θεῷ* (a v. שָׂם) I. p. 483. 273. בָּשְׂמַת, in nominibus (בִּשְׂמַת

obversatur et ipse aramaismum [1]) et neohebraismum in auxilium vocat, ut nominibus, quemcunque vult, sensum extorqueat. Et bene quidem notandum est, si monumenta earum aetatum neohebraica nobis superessent, nos de hebraica doctrina Alexandrinorum multo honorificentius esse sensuros; nam sat multa vocabula neohebraica (quorum partem lingua arabica servavit), aliis deinceps increbescentibus, deturbata et propter vetustatem oblivione obruta esse plurimis e vestigiis [2]) suspicor. Idem usus tum aramai-

aram.), Hieron. Philo de interpret. 5, pronuntiatio literae בּ, quam Palaestinenses dagesatam, sicut *b*, rafatam, sicut *w* (=ו) pronunciabant, in ea re a Babyloniis discedentes, uti demonstravit Rapoport, l. l. Sic Philo דִּיבוֹן, *δικασμός* (=דִּיוָן, cf. arab.) I. p. 133. חֲוִילָה, *ὠδίνουσα* (=חֲבִילָה) I. 58. Cf. meam historiam poesis judaicae Tom. I. §. 30.

[1]) Velut אַרְנוֹן, *φῶς αὐτῶν* (=אוֹרֵיהוֹן) I. p. 133. בִּנְיָמִין, *υἱὸς ἡμερῶν* (יָמִין = יָמִים) I. p. 592. etc. Ex aramaismo quoque explicandum mihi videtur, quod Philo nonnulla nmm., quorum prima litera est *Lamed,* imperfectiva esse censet, velut לֶמֶךְ, *ταπείνωσις;* לוֹט, *ἀπόκλισις* I. p. 233. 410; siquidem aramaismus aegyptiacus imperfecta c. praef. *Lamed* cum gemarico communia habet, v. c. לֶהֱוֵי Monum. Carpent. v. 4. (Beer l. l. p. 18. ss.). Philonem in eruendis etymis cum hebraica, neohebraica et aramaica etiam copticam linguam (גִּפְטִית) confudisse, mihi quidem certissimum est; sed ea de re alibi.

[2]) Sic Philo n. פּוּעָה (quod Gemara a v. aram. פְּעָא, acclamare, deducit, Sotha 11, b. cf. Midr. Ex. XXIII.) *ἐρυθρόν* significare dicit (I. p. 492.), a v. פָּוָה s. פָּע, unde conservatum est n. פּוּעָה, פּוּאָה (aram. def. פּוּתָא, arab. فُوَّةٌ, unde مفوى, مفوّة q. v., cf. Aruk s. n. פאה 2.), rubia tinctorum (= פוטרה, h. e., ut suspicor, *παιδέρως*, ex glossemate Gemara hierosol.). Idem הָגָר explicat *παροίκησις* (I. p. 135.), a v. הָגַר (= هجر, peregrinari et in longinqua regione do-

cae [1]) tum hebraicae linguae in versione *Aquilae* (quem Hadriani cognatum fuisse dicunt) manifesto apparet, uti ex hisce exemplis perspicitur: שְׁעָרִים Gen. 26, 12., *εἰκασμένον* (quasi שִׁיעוּרִים scriptum esset, a v. neohebr. שִׁעֵר, aestimare, conjicere); פֶּרֶק Nah. 3, 1. *ἐξαυχενισμός* (neohebr. פֶּרֶק, cervix); טֹרֵד Prov. 19, 13, *σύντομος* (neohebr. טָרַד, assiduum esse), et ex his fragmentis, quae desunt in editione Hexaplorum Montfauconiana: אֵל שַׁדַּי Gen. 17, 1., אכיוס ואיקנוס (Gen. Raba XLVI. f. 51, b.) h. e. *ἅγιος καὶ ἱκανός* (שַׁדַּי = שֶׁיֵּשׁ דַּי, cf. Isaaki ad Gen. 17, 1.); עַל־מוּת Ps. 48, 15., אתנסיאה (Lev. Raba XI. fin. f. 178, a. Cant. Raba f. 7, b.) h. e. *ἀθανασία* (=אַל־מוּת); עֲלָמוֹת Ps. 67, 26., עכתה כסוע (Cant. Raba 1, 3. cf. Lev. Raba c, II. Midr. Qohel. f. 86, a.) h. e. *ἀθανασία* (=עָלְמוּת, aeternitas, sempiternitas); נֶחֱרֶפֶת Lev. 19, 20., כתובה לפני איש h. e. *κεκομμένη* (= neohebr. נֶחֱרֶפֶת j. Qidushin 1, 1. cf. Meor Enajim XLV., 4.). Quemadmodum Aquila, cujus *Targum* graecum apud doctores palaestinenses vel ad hagadam confirmandam atque amplificandam plurimum valuit, sic etiam *Theodotio* Sinopeus et *Symmachus* Samaritanus ad Vetus Testamentum transferendum utramque linguam saepenumero adhibuerunt quorum ille אַמָּה 2 Reg. 2, 24. *ὑδραγωγόν* vertit (neohebr. אַמָּה, fossa ad recipiendas aquas, unde rivi fiunt ad agros irrigandos), לַמְחוֹת מְלָכִין Prov.

micilium figere; סֵרוּם, *τύφλωσις ἢ στείρωσις* (I. p. 684), a v. סָרַם, obturare (= سَلِم); בָּלָק, *ἄνους* (p. 414), cogn. forsitan c. arab. بَلَق (*παραφρονία*, dementia levior). De interpretibus Alexandrinis cf. *Gesenium* in histor. linguae hebr. § 22.

[1]) וְעָפִים Gen. 40, 6., *ἐμβρασσόμενοι* (זָעַף, זָעֵף, tempe-

31, 3. *εἰς μεταμέλειαν* (h. e. ad retractanda consilia, aram. מְלַךְ, consilium); hic מְגַמָּה Hab. 1, 9. *πρόςοψις*, (neohebr. finis, quem quis intuetur); טַף Gen. 47, 12. *ὄχλος* (aram. טְפָא, cumulare, neohebr. טָפוּף, cumulatus).

Ex his exemplis, praeter quae omni acie ingenii contemplanti plura se ostendent atque occurrent, assumtis numis hasmonaeis et Epiphanii testimonio de astronomico Pharisaeorum neohebraismo [1]) apparet, neohebraicae linguae originem ab extremis Veteris Testamenti seculis repetendam esse. Quare magnopere falluntur ii, qui existimant, linguam hebraicam, aegre vitam trahentem, vel aramaicae sumtibus vix misere semetipsam sustentavisse vel, id quod plane ineptum est, arabicae divitiis, qua videlicet multo antiquior est, suam egestatem atque inopiam sublevasse. Ingens enim vocabulorum copia, quas libri Arabum nobis exhibent, multis seculis ante in Misna (quam tempus, quo collecta est, multo superare concedes) et in Gemaris, in quibus aramaica neohebraicis excipiuntur, deposita invenitur; id quod si quando lexicon neohebraicum, collato arasismo, adornabitur, luculente perspicietur. Sed ut certe aliquo exemplo demonstrem id quod pronunciavi subjiciam aliquot opificum artificumque nomina, in quibus arabica lingua cum neohebraica consentit, neque alterutra suspicionem subit, quod ea ab altera sit mutuata. Atqui hanc nomenclationem nonnisi tenue specimen esse volo rei certissimae, quae unicuique neohebraicam linguam callenti arabicamque addiscenti ultro ac passim se offert.

stas, procella); חֹרִי Gen. 40, 16. *γύρις* (חִוַּרְתָּא, farina alba); בּוֹלֵם Am. 7, 14. *ἐρευνῶν* (בְּלַשׁ, perscrutari); בֵּית־עֵקֶר 2 Reg. 10, 12., *οἴκῳ κάμψεως* (עֲקַר, in genua procumbere).

[2]) Meor Enajim c. 56. (de charactere vetusto literarum

שַׁכָּף, אֻשְׁכָּף	sutor	سَكَّاف إِسْكَافِيّ ,إِسْكَاف
אָרִים	hortilio	أَرِيس, maurit. حَارِس (spec.)
בַּנָּאִי, בַּנָּא	architectus	بَنَّآء, maurit. بنّاى
גַּלְדִּי	coriarius	جُلُودِىّ
גַּמָּל	camelarius	جَمَّال
גַּנָּן, גַּנַּי	hortulanus	جَنَايِنِىّ neoarab.
דַּלָּאִי, דַּלַּי	sitularius	دَلَّآء, maurit. دلّاى
זַמָּר	musicus	زَمَّار (spec. [1])
זַפָּת	picarius	زَفَّات
חַיָּף	tonsor	حَفَّاف
חַמָּר	agaso	حَمَّار
חַנְוָנִי	institor	حَانُوتِىّ (spec. [2])
חַשָּׁב	calculator	حَسَّاب
כַּתָּב	notarius	كَاتِب
כַּתָּן	linarius	كَتَّان
מְהַנְדֵּז [3])	geometra	مُهَنْدِس

hebr. et siclo sancto); Wissenschaft, Kunst, Judenthum p. 220. s.

[1]) spec. is, qui canit tibia vet gingrina quadam, quae زَمَّارَة s. مِزْمَار vocatur, tibicen, fistulator, a m b u b a j a.

[2]) spec. caupo, nam institor a pers. خُرْدَه *(kurze Waare)* appellatur بيّاع خُرْدَة, turcice خُرْدَجِى.

[3]) v. Aruk s. v. הנדז.

מְרַקֵּעַ	veterarius	مُرَقِّع
מְשׁוֹחֵחַ , מַשָּׁח	decempedator	مَسَّاح
נַגָּר	faber lignarius	نَجَّار
נַקְדָן	punctator	نَقَّاط
סַפָּן	nauta	سَفَّان (naupegus).
סַלָּל	cophinopoeus	سَلَّال
סָרִיק	pectinator	مُسَرِّح الكَتَّان
עַגָּל	carpentarius	عَجَّال
עַצָּר	torcularius	عَصَّار
פֶּחָמִי	carbonarius	فَحَّام
פֶּחָר	figulus	فَخَّار
צַבָּע	tinctor	صَبَّاغ
צַיָּר	pictor	مُصَوِّر
צַפּוֹן	saponarius	صَابُون
קַסְטָר	stannator	قَزْدَار maurit.
קַצָּב	lanio	قَصَّاب
קַצָּר	fullo	قَصَّار
רַקְדָן	veredarius	رَقَّاص
שׁוֹשְׁבֵן	nymphagogus	أَشْبِينُ sive شَبِينُ آلْعَرُوسَةِ
תַּגָּר	negotiator	تَاجِر

Hanc tabulam, quam, si per loci angustias liceret, magnopere amplificare possemus, habeas tibi documento, magnam vocabulorum copiam a lingua neohebraica aliquot seculis ante usurpatam esse, quam e literis Arabum multo post ortis nobis occurrit. Illustre profecto exemplum est illud מהנדז, quod et ipse Judaeos a mathematicis Arabum mutuatos esse crediderim, nisi jam Gemara [1]) eo vocabulo semel bisve uteretur. Sed nonnisi specimen pertenue proposui rei certissimae latissimeque patentis, ex quo certe aliquatenus suspicari possis, prope nil novi neohebraicae linguae proprium esse, quod non simul arabica participet. Neque tamen negari potest, id quod historia ipsa confirmat, has linguas solitariam sejunctamque vitam egisse et utramque, ab iisdem semitismi seminibus profectam, vias proprias iniisse, quae modo commearent modo longius discederent. Qua vero ratione hae linguae, a prisca forma longius indies digressae, vel propagatione vel mutuatione ad formam eam, quam nunc repraesentant, devenerint, quaestio est non solum per semet ipsam studiis adsiduis digna, verum ad comparationem utriusque sobrie ac fructuose instituendam etiam necessaria. Faciliorem esse ejus problematis solutionem in neohebraica lingua, quam in arabica, facile concedes. Namque arabica lingua, cuius complures aetates a nostro adspectu oblitescunt, ut primum e latebris pristinorum seculorum emergit, illico linguae peculiaris confectaeque speciem gerit; neo-

[1]) Batra 89, b. (Venet.): באתרא דלא חתימי נמי לא אמרן אלא דלא כהנדסי אבל מהנדסי לית לן בה h. e. etiam in loco ubi mensurae non signantur, nonnisi ea conditione mensurarum falsarum retentio vetita est, quod mensurae mensione magistratus non examinantur; quod si fit, vetita non est.

hebraicae e contrario origines, progressus ac vicissitudines usque ad extremam aetatis soferieae memoriam persequi possumus, quia decem seculorum (200 a. Chr.—800 p. Chr.), ex quibus vix poematium arabicum quasi tabula ex naufragio superest, monumenta nobis exhibet locupletissima. Quare quicunque linguam arabicam (quam multa de rarissimis etymis solam conservasse concedendum est) ad hebraicam illustrandam expiscatur, videat, ne in neohebraica oscitanter agat. Siquidem periculum istuc, quod uniuscujusque linguae recentioris comparatione adimus, in neohebraica multo facilius, quam in arabica, propulsari potest. Scilicet intelligere possumus, praesertim adhibitis extremis canonis sacri libris, quas ad formationis leges lingua neohebraica ex antiquae seminibus sobolem vocabulorum novatorum copiosissimam propagaverit; quibus necessitatibus coacta pedetentim ex Babyloniorum, Syrorum, Graecorum, Romanorum ac Persarum gazis semet ipsam ditaverit; quam denique vim in propagationem istam exercuerint synagogae jus, fides, disciplina et deinceps literarum artiumque studia. Assequi licet, quibus causis aliis ex aliis aptis et necessitate nexis vocabula in canone usitata vel certe vetustis radicibus innixa significationem innovatam acceperint, sive legalem, velut אָסַר, קִבֵּל, הֲלָכָה, sive dogmaticam, ut זָכָה, נִגְנַז, שְׁכִינָה, sive disciplinarem, ut גֵּיֵּר, רַב, יְשִׁיבָה, sive doctrinalem, ut חָלַט, פָּשַׁט, סוּג; quomodo evenerit, ut multa subtilius distinguerentur (e. c. פִּגּוּל, id quod sacrificari vetitum est respectu temporis; פָּסוּל respectu loci), ut vocabula in canone vel solitaria vel rarissima usu divulgarentur, uti vv. סָג, צָנַע, קָלַט, nnm. זִיו, חָנוּת, עֲלוּקָה; ut poetica in consuetudinem

populi transirent, uti חַמָּה, לְבָנָה, מִלָּה; ut formis vetustis, retenta significatione, novae substituerentur (velut מָזַג, בָּגַר, מָרָה pro מָסַךְ, בָּחַר, מְרֵרָה; אָרַם, כָּרַם, יָחַם, עָסַק); ut verba denominativa increbescerent, e. c. תָּרַם, שִׁמֵּר, הִצְבִּיעַ, צִיֵּץ (a nmm. תְּרוּמָה, שְׁמָרִים, אֶצְבַּע, צִיצִית); ut magna quoque compareret vocabulorum copia, quae cum in canone non legantur, nihilominus prisca esse vix inficiere, veluti חַתּוּל, felis; כְּתֹבֶת, dactylus; גֶּשֶׁר, pons, et sexcenta alia, quorum partem ex Misna colligere conatus est *A. Th. Hartmannus*[1]). Quatuor sunt enim in lingua neohebraica vocabulorum genera, unum eorum, quae, cum in scriptura sacra reperiantur, patrimonium populi manserunt et nunquam in vulgari ejus dicendi consuetudine interciderunt; alterum eorum, quae cum in sacra scriptura aut ipsamet aut hac aliave significatione subjecta non inveniantur, sunt tamen hebraica et vel casu fortuito in scriptura sacra non usurpata vel prisca stirpe recens oriunda[2]); tertium eorum, quae (uti jam vetus hebraismus vocabula extera vel semitica vel peregrina civitate donavit) ex aramaico sermone, maxime illo confini ac cum hebraico plane continenti, aut aliunde vel ipsa vel quadam solummodo significatione mutuo desumta sunt; quartum denique eorum, quae in scriptura sacra usurpata dudum obsoleverant, sed, exegesi renovata, revixerunt et in sermonem vulgarem vel solummodo in sermonem

1) Cf. *Chajim Keslin*, Beër Rehobot, Measef 1786. p. 51. ss. *Salomo Levison*, Bet ha-Osef (repetit. in edit Misnae Vindobonensi 1815); *S. D. Luzzatto*, ביאור קצת לשונות מלשון חכמים, Bikure ha-Itim 1828. p. 123. ss.

2) Cf. vv. נָזַף, מָחַל, עָקַץ, פָּסַר, צַף (constipare), שָׁדַל, שָׁטָה, et vv. חָזַר, redire; חָמַר, grave esse; גָּרַם, causare סָפַק, dubitare etc.

eruditorum aut poëtarum transierunt (quam ipsam ob causam poësin judaicam exegesin indirectam h. e. intellectum vocabulorum inter Judaeos receptum nobis exhibentem nuncupavi). Genus quartum minimam vocabulorum copiam complectitur. Huc pertinent nmm. haec explicatu difficiliora, quibus traditionis consensus significationem, quae pro firmato jam staret, indidit: אֶגְלִים (Chagiga 12, b), guttae, ex Job. 38, 28; אֲגַם (v. *Aruk*), juncus, arundo; אַפִּרְיוֹן v. Qimchi Lex.), torus genialis, ex Cant. 3, 9; זְמֹרָה, crepitus (Joma 77, a.), ex Ez. 8, 17; סֶלָה, aeternitas, in aeternum (Targ. constanter: לְעָלְמִין); עֲזָאזֵל, mons altus et praefractus, v. Wessely ad Lev. 16, 8; עֲצֶרֶת, festum finale *(Schlussfest)*, ex Lev. 32, 36; תָּפְתֶּה, geenna, ex Jes. 30, 33. — et nmm. רְגָלִים, feriae, ex Ex. 23, 14; חַרְצַנִּים, acini, ex Num. 6, 4; כִּנָּה, pediculus; אַשְׁכְּנַז, Germania; סְפָרַד, Hispania, quae dudum adnotavit in Praef. ad Lex. p. XXV. *Guil. Gesenius.* Eodem pertinent aliquot nomina *Dei*, in his שֵׁם (ex Lev. 24, 11. 16. Deut. 25, 58.); מָקוֹם (ex Jes. 28, 8., cf. Abot III, §. 4. Midr. Tilim 40, a. Midr. ad Gen. 28, 11.); צוּר, creator (Sifri: הצור הצייר שהוא צר את־העולם); שָׁמַיִם (fort. ex Dan. 7, 2.), aliquot nomina a n g e l o r u m, velut אֶרְאֶלִּים (gemar. poet. Ketubot 104, a. j. Ketubot 32. b.) ex Jes. 33, 7.; אוֹפַנִּים, חַיּוֹת, חַשְׁמַלִּים, quae ex Ezechiele desumta in partibus gemarae gnosticis et in pajtanorum carminibus cumulantur, aliquot nomina *Messiae*, in his יִנּוֹן (Pirke Eliezer XXXII. שהוא עתיד לינן ישני עפר) ex Ps. 72, 17. Eodem referri oportet quaedam vocabula, quibus mythologia anilis ista atque delira significationem singularem affinxit, velut בֹּהוּ, lapides in abyssum demersi, ex quibus aqua primogenia scaturiisse dici-

tur (ex Jes. 34, 11., v. Aruk מפלם); בְּלִימָה, frenum imperii supremi, quo terra continetur, linea viridis (ex Job. 26, 7.); זִיז, nomen avis portentose magnae (ex Ps. 50, 11., Batra 73, b.); חוֹל, Phoenix unicus, longaevus et e flammis renascens (ex Job. 29, 18., ubi Codd. jerus. et pers. legunt חול); לוּז, ossiculum hominis incorruptibile, syn. arab. عجب, indir. ex Qohel. 12, 5 (Pococke, Porta Mos. p. 117 ss.); לִוְיָתָן, cete ingens, mas et femina, quorum ille castratus, haec sale condita esse dicitur, ut a piis tempore novissimo comedatur (v. Buxtorf. Lex. Rab.); לִילִית, strix nocturna, infantibus insidians, regina Samarcandi et prior, ut fingitur, Adami uxor (ex Jes. 34, 14.); שָׁמִיר, vermiculus miraculosus, lapides diffindens, cujus ope Salomo templum exstruxisse fertur (Gittin 68, a. Isaaki ad Jes. 5, 6.). Praeterea nomina propria, quorum multa, velut חֲצַר־מָוֶת, appellativorum vim obtinuerunt. In his ejusque generis vocabulis videndum est, ne glossema istuc, quamtumvis vetus ac pervulgare, nisi aliunde comprobatum sit, inconsulte ac temere recipias, neve illud, nisi in delirantium somniis habendum esse appareat, incognita causa, caece rejicias. Sapientis est enim, opinionis receptae rationes exputare, priusquam eam rejectaneis adnumeres. Exemplum est n. עֲרָבוֹת (Ps. 68, 5.), secundum traditionem nomen coeli (Chagiga 12, b. שבעה רקיעין ואלו הן וילון רקיע שחקים זבול מעון מכון ערבות), id quod confirmatur eius nominis origine a. v. עָרַב, caliginosum esse, quemadmodum עָרַף (עֲרָפֶל, Suidas: *γνόφος, ὁμίχλη*) et רָפָא (רְפָאִים). Consequitur vero, si in ea, quae disseruimus, intueare, magnam cautionem adhibendam esse, ne significationem neohebraicam, quae posterius accessit, prisco vocabulo affingas, ne verbum

neohebraicum, quod, cum iisdem literis constet, radicem tamen diversam habet, cum veteri commisceas aut derivata verborum sono similium, virtute discrepantium confundas, ne significationes, quae, ut vidimus, multis vocabulis antiquis in neohebraica lingua receptis interpretatione pervulgata attribui solitae sunt, illico nativas ac primarias esse opinere; denique ne linguae, cui rabinismus penitus insedit, nimium fidas. Quodsi hac ratione cautum providumque in lingua neohebraica comparanda te praestes, mirabiles utilitates ad antiquitatem illustrandam tibi praebebit. Primum repraesentabit tibi innumeras verborum, nominum particularumque formas, inusitatas illas in scriptura sacra et tamen bene hebraicas, quae lexicographo potissimum scitu sunt necessariae, in his formas singulares pluralium tantum et vicissim plurales singularium tantum, nomina verbis denominativis subjecta, primitiva multorum et verborum et nominum secundariorum, similium ad illuminandas conformationes insolentiores multitudinem et, ut brevi complectar, multarum rerum alioqui plane opertarum, in quibus est etiam generis ambiguitas, patefactionem — quae cum librum singularem requirant, satis habeo ad exempla in Concordantiis disperse proposita legentes ablegavisse. Deinde lingua neohebraica multorum verborum in scriptura sacra vel perrarorum vel semel scriptorum (quorum usus patere apud eam solet latissime) varias multiplicesque potestates exhibet, ita ut ad significationem nativam penetrare facile possis. Sic vv. עָגַן et חָגַן in scr. s. tantummodo semel usurpata (Rut 1, 13. Ez. 42, 12.) non solum ipsa neohebraici sermonis propria sunt, sed etiam complura derivata progenuerunt. A significatione detinendi retinendive, quam

habet v. עָנַן, dicitur עֲגוּנָה de muliere, quae sine conjuge coelebs inclusa ac solitaria in thalamo desidet, בֵּית־עֲגֻנָּה de custodia s. carcere, quo rei clauduntur s. cohibentur, עֹגֶן, anchora, quae de prora jacta unco tenaci rates tenet s. fundat; a significatione applicationis vel aptitudinis, quam habet v. הָגַן, adjective dicitur הָגוּן, הֹגֶן, מְהֻגָּן, adverbialiter כְּהֹגֶן, ut decet, ut par est, substantive, הֵגֶן, sicut עֹגֶן, quibus ex potestatibus ac propaginibus haec duo verba ex eadem radice (quam repraesentant vv. simpl. גַּן, g a n, עַן, g h a n) praepositionaliter amplificata vimque undique sepiendi, operiendi s. continendi habere perspicitur. Exempla sunt etiam vv. חָלַט (semel *Hi.* **1 Reg. 20, 33.** vi stricte simpliciterque affirmandi), quod neohebraice, sicut חָלַץ, vi a b s t r a h e n d i dicitur et cum in sermone jurisprudentiae (הֶחֱלִיט, absolute immundum pronunciare; חֲלָטָה, e x p r o p r i a t i o) tum in terminologia philosophiae perquam usitatum est (part. מוּחְלָט, חָלוּט; חֲלָטִי, הֶחְלֵט de abstracto s. absoluto, syn. הִפְשִׁיט, נָּרַד, جَرَّدَ) et חָב (semel *Pi.* **Dan. 1, 10.**, חוֹב n. m., sicut קוֹל a v. קָל, ar. قَالَ, semel **Ezra 18, 7.**), cujus omnes conjugationes et plurima insuper derivata neohebraice usurpari solent de aeris alieni, quo quis se obstrinxit, debitione, de reatu morali (hellen. *ὀφείλειν, ὀφείλημα*) et l o g i c e de conclusione s. consequentia necessaria (הִתְחַיֵּב, חִיֵּב, חִיּוּב, חִיּוּבִי, הִתְחַיְּבוּת, syn. arab. وجب, hierosol. אֲגִיב, unde واجب, necessarius, affirmativus, etc.). Neque minorem fructum lingua neohebraica nobis praebet eo, quod multa verba, quorum nonnisi derivata in canone leguntur, apud ipsam non modo non interciderunt, sed usitata sunt et, retento prisco nati-

voque sensu, maxime vigent, e. c. בִּצְבֵּץ, scaturire, ebullire, tumescere (ad nmm. בֹּץ, בִּצָּה; neohebr. בִּצִּית, cymba ad vada trajicienda, babyl. בוּצִית, palaest. דוּגִית); בָּשַׂם, בָּסַם (*Pi.*), dulce, suave, aromaticum esse (ad nmm. בָּשָׂם, בֶּשֶׂם, בֹּשֶׂם); גָּלַד (*Hi. Ho.*), circumcludere, crusto vel pelle circumdare (ad n. גֶּלֶד, cutis, pellis, arab. جلد); זָג, arcte complecti (*Pi.* זִוֵּג, copulare, unde זִוּוּג, copulatio, conjugium; זוּג, ζεῦγος, compar, sanscr. juga, pers. يوغ, جو), unde n. זָג (semel Num. 6, 4.), folliculus acini (Gloss. קליפה שמבחוץ, cf. neoh. זוג de metallo pistillum tintinnabuli includente, זִיג, vestis, ab involvendo); חָלַד, vi et abscondendi (prt. חָלוּד, abditus; *Hi.* caus., spec. rubigine s. luto obducere, utpote quo res ipsa occulitur), ad n. חֶלֶד, sicut עוֹלָם, αἰών, et perforandi, ad n. חֹלֶד, mustela, neohebraice חֻלְדָּה; חָרַז, serere, conserere, veluti pisces transmisso per nares filo conserte suspendere (מַחֲרוּזוֹת שֶׁל־דָּגִים Mecia 23, b.), margaritas inserto filo ordine jungere (unde חָרוֹז, vern. der Perlenreiher, div. a n. קָדוֹחַ, vern. der Perlenstecher), legem et prophetas παραλλήλως seu synoptice componere, unde חָרוּז, res conserta (semel Cant. 1, 10. de torque ex linea margaritarum constante), neohebr. rhythmus finalis, cujus versus aequaliter desinunt (arab. منظوم, a v. nectendi); מָזַר, miscere et mixtura corrumpere, veluti בֵּצִים מְזָרוֹת, ova corrupta, sanscr. miçraj, miscere, unde miçra, mixtus (ad nmm. מַמְזֵר, homo ex mixto concubitu ortus; מְזָרִים, מַזָּרוֹת, mixtae siderum borealium catervae, gloss. τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων, cf. Gen. Raba X, ubi hoc nomen a v. מָזַר vi fructus corrumpendi deducitur); נָשַׁם (*Hitpa.*), spirare, respirare (ad n. נְשָׁמָה, cf. neohebr. נְשִׁימָה, halitus). In-

terdum vetus verborum id genus forma obsolevit, velut verbi בָּחַר (unde בָּחוּר, juvenis), sed successit altera paullulum variata, ex qua obsoletae virtutem perspicere poteris, uti pro בָּחַר v. בָּגַר, maturescere, pubescere, adolescere, *Hitpa.* puberem fieri, de puellis potissimum, unde בַּגָּר, puber; בַּגָּרוּת, pubertas (syn. בַּחֲרוּת, שַׁחֲרוּת) et, liquida permutata, בָּחַל *(Pi. Hitpa.)*, quod, sicut בָּכַר in nom. בַּכְּרָה, בִּכּוּרִים etc., de fructibus maturescentibus dicitur et a prisco בָּחַל (Zak. 11, 8.) bene est discernendum. Haec de neohebraismo comparando disserenda putavi, in qua re fui paullo longior, quia eam linguam a multis, scilicet ejus imperitis, his temporibus contemtam ac pro nihilo ductam videbam. Contemnitur ipsa, contemnuntur monumenta antiquitatis hac linguâ consignata, sine quibus (id quod iterum iterumque ipsa experientia edoctus confirmo) lingua prisca intelligi nequit. Lingua neohebraica concha est, in qua margaritas inclusas reperies, modo ne testae asperitate absterreri te patiare. A linguae sanctae filia (quae si non sanctitate, tamen formâ matris simillima est) proficiscor nunc ad extremum orbem Eoi, Gangis illum fluctibus allutum ac fabulosum, ad campos Gangae et Jamunae impendentibus montium altitudinibus subjectos, ubi lingua sanscrita

— sedet solio insigni stellisque corusco,

ut, sicut olim ad Salomonem regina Sabae ex longinquo munera sua attulit, etiam illa ad thesauros suos linguae sanctae aperiendos arcessatur; id quod aliquando eventurum jam veteres divinavere. Etenim in operibus Hellenistarum [1]) et in Talmudi-

[1]) Opp. Philonis I p. 56 (פישון *παρὰ τὸ φείδεσθαι*); p. 523. (לאה, *λειότης*); II p. 457. (*Ἐσσαῖοι* h. e. חסידים *παρὰ τὴν ὁσιότητα*); I p. 632 (פיתם, *πείθειν*).

bus [1]) saepenumero vocabula hebraica ex linguis indogermanicis vel deducta vel cum vocabulis earum composita invenies: idque partim feliciter partim insulse. Noli autem opinari, huic comparationi rationem plane nullam subesse. Ego contra simpliciter breviterque confirmo, *Hagadam* in idea cognationis omnium linguarum fundatam esse, quam cognationem jam veteres, sed quasi per caliginem viderunt et in majorem interpretandi libertatem crediderunt. Schola autem historico-analytica eam Semitismi et Sanscritismi unitatem, quam jam veteres sagaci ingenio praeviderunt, evincit collationemque, ut videbimus, legibus adstringit.

[2]) b. Sabat II f. 17. cf. Moëd Kathan III f. 18. (הֵין = הינא = ἕνα); Sabat f. 63, b. (לַמָּם Iob. 6, 14., cf. gr. למם, canis); v. etiam Chazkuni Ex. 16, 31 (מָן), Ialkuth Pent. §. 266 (אַנְבִּי), ubi linguam copticam collatam invenies, et locos a *Zunzio* congestos in libr. l. 327. Mirum quoque videbitur, quod testibus j. Suka III, 5. Lev. Raba c. XXX. f. 100 d., Aquila הָדָר Lev. 23, 40. transtulit הידור h. e. ὕδωρ, id quod Hagada arborem ad aquas crescentem intelligens confirmat. Idem, ut traditur Lev. Raba c. XXXIII. f. 103 d., לַבָּלָה Ez. 23, 43. vertit פליאה h. e. παλαιᾷ, sonum simulque sensum sequens (v. Aruk s. פרן, פליאה), quemadmodum saepiuscule etiam Alexandrini (veluti φράζων ex lectione Codd. aliquot Iud. 5. = פְּרָזוֹן). Propter eandem necessitudinis linguarum divinationem nn. propria graeca et latina in Talmudibus saepenumero, quasi eorum origo semitica esset, explicantur, velut Taanit f. 20. Νικόδημος; Jelamdenu: *Puthiël* = φῶς Θεοῦ. Eadem consanguineitatis linguarum idea subest transscriptioni vocabulorum peregrinorum. Nam in scr. s. nomina barbara ita transscribuntur hebraice, ut etiam in hebraica lingua vel expressis synonymis, similem vel, expressis etymis sancritosemiticis, adaequatum sensum habeant. Ex lingua aegyptia exempla sunt מֹשֶׁה, Μω-υσῆς, cuius nomen ex sermone Aegyptiorum deducendum esse recte statuunt jam Philo (II p. 83. ἐξ ὕδατος ἀνελείς, qui idem hoc

n. hebraice *λῆμμα, ψηλάφημα* significare ait p. 597.) et Josephus (Arch. 2, 9. §. 6.), ab aegypt. *ΜΩ*, hebr. מַי, מן et v. *ΟΣΧΕ*, quod respondet hebraico מַ־שֶׁה (emollit. ex מַ־שֵׁה, מַ־שַׁךְ, מַ־תַּךְ); cf. J. Muscato ad Kuzri II, 68. Deinde n. אַבְרֵךְ, cui subest copt. *PEK*, quod significatione, fortasse etiam radice congruit cum v. hebr. בָּ־רַךְ (unde Gen. 41, 43. אַבְרֵךְ = הַבְרֵךְ, Aquila bene: *πρόγνυ*). Ex lingua persica scr. s. plurima exempla suppeditat, veluti מֶלְצַר, pers. ملسر, praefectus vini, hebr. inspector, custos, promuscondus, a. v. לָצַר = נָצַר; סֶגֶן, pers. شحنه, vicarius, praefectus, hebr. = סֹכֵן; cf. nmm. גִּזְבָּר, גַּנְזַךְ (גְּנָז = כָּנַס), דְּתָבָר (zend. dâta, lex, hebr. דָּת Deuter. 33, 2.), סָרַךְ (סָרֵךְ = סָרַח), פִּתְגָּם (פְּתַג = פָּתַח), adv. אַפְּתֹם (= אֶפֶּסֶם) etc. etc., quae omnia simul etyma persica et semitica significatione vel re ipsa congruentia habent. Idem transcribendi mos, qui obscuro cognationis sensu, extera semiticis assimilat, regnat etiam in Talmudibus, e. c. אשמאי, *ἄσημος* (שֵׁם), אשמדי, zend. aêshma daêva h. e. amoris daemon (hebr. a שָׁמַד), חבר, *Gheber*, talm. magus, Persa (hebr. חָבַר, modis magicis vincire) et, quod bene notandum est, vocabula persica, graeca et latina, quae aramaismus et neohebraismus receperunt et ad sui similitudinem commutaverunt, ad sanscritismum, cujus e fonte emanaverunt, se referre videntur, id quod conspicitur in immutatione clausularum et praepositionum (*ιον* transit in ־ִין, *συν* in סַנ) multisque praeterea in vestigiis, e. c. זְמַרְגַּד, *σμάραγδος*, sanscr. marakata, marakta; פּוּלָא, *πῶλος*, pullus, goth. fula; פְּרָטָא (Lev. Raba XXVIII.), *πρῶτος*, sanscr. prathama; קוּנְקָן, *κόγχη*, concha, sanscr. çank'a; קַפְלִיטָא (j. Sabat VI. in.), ornamentum capitis, a n. *κεφαλή*, sanscr. kapâla; קַסְטִירָא, *κασσίτερος*, sanscr. kastîra.

LIBER TERTIUS

(De linguarum indogermanicarum, inprimis sanscritae comparatione.)

LIBER TERTIUS.

Inter linguas exteras, h. e., non semiticas, quas ad hebraicam illustrandam comparare convenit, una eminet inter omnes priscae vetustatis cumulataeque perfectionis gloria, lingua sanscrita, quae a compositione antiquo opere et summo artificio facta nomen accepit, quae, sicut hebraica *Leshon ha-Qodesh,* multa cum emphasi *Dêva bâni* h. e. *Θεῶν φήμη* nuncupatur, opposita quodammodo lingua pracrita h. e. *παραπλάστῳ,* quae multis modis variata aliarumque linguarum vi extrinsecus immutata, neohebraicae ejusque diversis idiomatibus conferri possit. Lingua sanscrita, inter omnes sui generis linguas, quibuscum cognatione propinqua et facile spectabili conjuncta est, in altissimo gradu dignitatis merito locatur, utpote quae non solum gothicam, littuanicam, persicam, sed etiam ipsas classicas formae undique expletae et ad mentis humanae sensus aptissimae laude superet. Probabile est, hanc absolutionem perfectionemque linguae sanscritae jam temporibus illis propriam fuisse, quibus coloniae graecae, germanicae atque italicae, ab ea divulsae ac distractae, suas quaeque in ipsarummet lingua propaganda vias ingrederentur. Certe negari nequit, id quod reliquiae vocabulorum sanscritorum in Gra-

jorum libris et in ipsa scriptura sacra asservatae testantur, linguam sanscritam exstitisse jam longinquissima aetate, qua, ut videtur, gentes japeticae, ex campis *Sin'ar* late patentibus in aquilonares Hindustani regiones delatae hanc linguam propriam ac suam introduxerunt et, favente fictrici ejus virtute, ad tantam copiam et elegantiam perduxerunt, ut ad omnes artes ac disciplinas posset transferri. Neque repugnat artificiosa ejus linguae ac plane mirabili opere perfecta constructio; nam vidimus supra, linguas singulas ut primaevae aetate proximae sint, ita divinitatem illius maxime exprimere. Annon singularem istam formae tum dignitatem tum venustatem repraesentant jam *Vêda, Manûs* nomocanon et ingentes illae Indorum Iliades, *Râmâyana* et *Mahâb'ârata,* quamquam haec opera caligine profundae antiquitatis obducta sunt et secula aerae nostrae primordio proxima longe superant, quibus quidem seculis lingua sanscrita, ab adolescentia ad virilem aetatem, ab incompta horridulaque simplicitate ad potissimae artis elaboratam magnificentiam progressa et ad summam gloriam facundiae florescens, scriptorum praestantissimorum operâ omnes virtutes maturissimae ac plane aureae aetatis assecuta est. Eo ipso tempore grammatica linguae sanscritae studia inter Indos exerceri coeperunt, quibus in lingua paullatim obsolescente et a Vedarum archaica dictione deflectente carere non poterant. Quemadmodum complurium disciplinarum, sic etiam artis grammaticae incunabula in India quaerenda sunt. Constat enim, grammaticam ab Indis ingeniose inchoatam et, cum nondum ejus nomen apud gentes semiticas exstaret, praeclare excultam esse, et non sine aliquâ probabili conjectura et ratione contendi

potest, eam artem Persis ab Indis, Syris et Arabibus, non injustis, ut in *Abulfeda* apparet, doctrinae indicae aestimatoribus, a Persis, Judaeis ab Arabibus vel utrisque esse traditam. ***Panini*** ille, qui aerâ *Samvat* multo superior est, *Sutrarum* s. 3996 aphorismorum grammaticorum auctor tam gravis quam breviloquens, ***Judam ben-Qarish, Eldadi Danitae*** aequalem, qui grammaticae studia accendere studuit, novem fere seculis praecurrit, et ***Amara-Sinha,*** cujus est vocabularium *Amara-Kosha* inscriptum et eadem fere ratione, qua ***Zeker Rab*** Dionysii Musafiae, dispositum, unus de novem, qui gemmarum instar regiam *Vikramadityae* decoravisse perhibentur, sive extremo seculo ante aeram nostram inchoatam sive seculis quatuor post inclaruit, omnibus Judaeorum lexicographis aliquot seculis antiquior est, vel isto *Zemah bar-Palthoi,* patriarcha *Pumbaditano* (inde ab 872), qui biennio post nomocanonem absolutum vocabularium talmudicum ordine literarum scribere aggressus est. Ex his, quae paucis indicavi, apparet, linguam sanscritam non solum unam esse de linguis antiquissimis et instar hebraicae a primaeva immediate oriundis, sed etiam inter orientales primam, quae ad artem grammaticam redacta scientiaque comprehensa est.

Itaque si nullius linguae monumenta tam vetusta exstant, quam hebraicae multisque e documentis cognoscitur linguae sanscritae hebraismi aetate aequalis summa antiquitas, philologiae linguarum conciliatrici indagatricique fabricae earum reconditae consentaneum est, conferre harum linguarum similia et comparare contraria, ut societatem et quasi sanguinis communionem, qua junctae sint, non modo conjectura prospiciat, sed perspiciat ratione ac disci-

plina. Quod quidem a plerisque linguae vel sanscritae vel hebraicae amatoribus adhuc praetermissum esse, incuriâ scilicet rei ad ipsam sanscritam penitus intelligendam maxime necessariae, tanto mirabilius videtur, quanto studiosius nostra aetate linguae medopersicae, classicae, germanicae et littuanico-slavicae ad sanscritam adjunctae sunt. Neque tamen negari potest, exstitisse jam ante J. Fuerstium, qui ejus comparationis tum necessitatem utilitatemque augurarentur, tum initia ponere studerent. Nonne jam *Jul. Klaprothius* [1]), caucasiarum linguarum diligentissimus investigator, et *Matthias Norbergus* [2]), zabicae existimator elegantissimus, quem medio in labore vis mortis immaturae oppressit, exemplorum nonnullorum, quae fors obtulerat, prolatione conjecturam suam de quadam harum linguarum cognatione confirmare conati sunt? Omitto eos, qui, alphabetum *Dêvanâgarî* semitica stirpe oriundum rati, novas necessitudines conglutinabant. At illa non queo praeterire, quae in prooemio grammaticae bengalicae, uti praedivinatione quadam sensit et praedixit *Nathanael Brassey Halhedius* [3]), vir ceteroqui superlationi deditus. „I have been astonished,“ inquit, „to find the similitude of Sanscrit words with those of Arabic:

[1]) Observations sur les racines des langues Sémitiques, par Klaproth, in libro ab ipso edito: Principes de l'étude comparative des langues, par le Baron de Mérian, Paris 1828. p. 209—239.

[2]) V. tractatum de Precatione Dominica in linguas Asiae translata, Nova Acta Reg. Societatis Scientiarum Upsalae, Vol. IX. p. 207. ss.

[3]) Grammar of the Bengal Language, Hoogly (in Bengalia) 1778.

and these not in technical and metaphorical terms, which the mutuation of refined arts and improved manners might have occasionally introduced: but in the main ground-work of language, in monosyllables, in the names of numbers, and the appellations of such things, as would be first discriminated on the immediate dawn of civilisation.“ Consensum linguae sanscritae atque arabicae (id quod perinde est, ac si hebraicae), fortuitum illum et e mutuatione historice demonstranda natum evicit etiam *D. G. Wait* in dissertatione de causis vocabulorum orientalium, quae in linguis europaeis inveniuntur [1]); consensum vero illum, qui non in supellectili linguae arabicae ab ultimis gentibus deducta versatur, sed ad earum linguarum radices pertinet, nonnullis exemplis improspere, ut verum fateamur, delectis aliquatenus probabilem reddere studuit *Fr. Boppius* [2]) in recensione collectionis radicum sanscritarum Rosenianae. Grate etiam fatemur, *Guil. Gesenium* hebraicae linguae lexicographum esse eum, qui, ut optima quaeque recens inventa ad suam utilitatem referre egregie callet, sic verba hebraica cum radicibus sanscritis componere primus aggressus sit [3]), et *Henr. Ewaldum*, doctorem metrorum tum arabicorum tum sanscritorum plane eximium,

[1]) On the Causes of Oriental Words existing in European Language, in Diario Asiatico 1834. Januar. p. 1—12. 108.

[1]) In Annalibus Vindobonensibus 1828. Tom. XLII. p. 242—280.

[3]) *Isaacus Nasci*, ex pago iudaico ad amnem Surinamum supra Paramaribum, lexicon scripsit, in quo non radices indicas, sed radices linguae indianae, *Kalibi* nuncupatae,

convenientiam linguae hebraicae cum sanscrita in parte grammaticae et formativa et syntactica crebro comprobavisse. Quibus viris honore summo erit in posterum, quod terram incognitam, ubi thesauri ad studia hebraica locupletanda illibati laterent, primi commonstrarunt et quasi digitis intenderunt fontes sacros Gangae, ex cujus vivis aurigerisque perennitatibus jam duabus palmis ad linguam hebraicam abluendam et redintegrandam hauserunt. At totam earum comparationem conjectura nixam totamque opinabilem esse, quis est quin dispiciat? Primus fuit ***Jul. Fuerstius***, qui, opinatione sublata, necessitudinem linguae sanscritae cum aramaica semiticarumque quavis consanguineam asserere, assertionem historice comprobare, et, instituta non leviter, sed omni ex parte linguae sanscritae comparatione, ad scientiam perducere incepit: id quod grammatice in Systemate Linguae Aramaicae et lexicographice in Concordantiis denuo editis praestitum praedicamus. Mihi vero contigit, ut non quasi per transennam praetergrediens strictim adspicerem Fuerstii studia eorumque progressus, sed ut quotidie ante oculos mihi versari solerent, ipseque oculos de iis nunquam dejicere necessitate dulcissima ac fructuosissima essem coactus. Quamobrem cum de linguae sanscritae cum hebraica collatione disseram, non loquor, rei heri vel nudiustertius oblatae verisimilitudine abreptus, sed rei, quam ego experiens quotidie probo, veritate commotus. Disseram autem brevi, quantum hujus libelli angustiae permittunt, primum

cum hebraicis composuit easdemque esse contendit. V. *Hannah Adams,* History of the Jews from the destruction of Jerusalem to the present Time, Cap. XXXIV. (De Judaeis americanis.)

de via ad comparationem semitismi et sanscritismi frugiferam aperienda ac munienda, deinde de incredibilis utilitatis fructibus uberrimis, ad quos percipiendos ac condendos investigatio hac via pervenit vel se perventuram sperare potest, praecipue in doctrina de verbo semitico ejusque structura arcana ac plane mirabili.

Primum igitur, si comparationem linguae sanscritae recte atque ordine instituere volueris, literarum naturam ac distributionem callere tibi necesse est, ut earum vicissitudines et mutationes intelligere queas. Id quod in linguae hebraicae cum sanscrita collatione propterea maxime necessarïum est, quia haec ad sonorum varietates significandas pluria signa habet, quam semiticarum ulla, et quia hebraicum certe alphabetum, diacriticis signis, qualia arabicum posterius accepit, destitutum, varios et quasi multiformes literarum elementarium sonos, quos pronunciatione antiquitus distinctos esse nonnullis e vestigiis consequitur, scriptione designare nequit [1]). Divisio vero literarum secundum organa, quibus pronunciantur, non sufficit et cum classes literarum nimium multiplicat, tum aliis de causis perquam suspiciosa atque incerta est, primum quia pluribus nonnunquam organis ad unius literae pronunciationem

[1]) Si alphabetum hebraicum, annumeratis literis adspiratis, et rafatis et dagesatis, cum sanscrito comparaveris, scriptioni hebraicae ad summum sex septemve signa deesse invenies. Pronunciatio vero antiquae linguae non minus subtilior fuit, quam sanscritae. Lege, quae infra ex libro *Simsoni* de pronunciatione syllabarum signo *Sheba* ordientium communicabimus. De literis septem auctor libri *Jecira* aperte testatur: שבע כפולות בג״ד כפ״רת, v. *Hanau*, Binjan Salomo f. 32.

unâ contendendum est unoque de organis concurrentibus cessante mutatio efficitur; deinde quia distributio organica, qualem grammatici Indorum Judaeorumque informarunt, nonnisi sanscritae hebraicaeque linguae peculiarem et vulgarem pronunciationem repraesentat ac proinde mere individualis est, quemadmodum vel deductio ejus divisionis ex organismi humani physiologia praeconceptis opinionibus nititur. Quin potius haec dispertitio literarum tantummodo historica via inveniri potest, h. e. collatione linguarum, observatione mutationis literarum et abstractione earum, quae cum certis ex legibus vicissim ponantur idque phonetice, non dynamice, naturam eandem participant eundemque ad ordinem sunt referendi. Hac ratione videbis, saepenumero variis in linguis respondere sibimet literas, quae neutiquam organo eodem efferuntur, et quas plane dispariles esse credideras; agnosces etiam, eam secundum organa distributionem nisi universitatis linguarum comparatione conficiatur, quamvis quadret in unam alteramve linguam licet, non tamen in omnes diversasque linguarum familias transferri posse. **Phonologiae** vero universalis (liceat novare nomen istuc in doctrina recens exculta), quae ex collatione usquequaque attenta derivata esset atque ad cunctarum linguarum interpretationem adhiberi posset, fundamenta jecerunt ***Fr. Boppius, Grimmii, Aug. Frid. Pottius*** et ***Agathon Benari,*** viri de philologia comparativa immortaliter meriti, qui linguarum indogermanicarum regiones amplissimas tanta ingenii eruditionisque magnitudine penitus comprehenderunt, ut facile iis ignosci possit, quod semiticas nimium neglexerunt. Quam tales tantique viri viam aperuerant atque straverant, hanc, lectis eo-

rum vestigiis, ingressus est *Fuerstius*, quae illis deessent, pro virili expleturus. Sic orta sunt, quae in Systemate Linguae Aramaicae proposuit de consonarum firmarum et primariarum triade (*K, T, P*), de semisonis sibilantibus ש, ס sibilorumque צ, ש, ז trifolio, quod sonos *K* et *T* lenis sibili accessione emollitas exhibet, de semisonis liquidis י, ר, ל, ו, eorumque indurationibus ac dissolutionibus, denique de sonis adspiratis ח, א, ה, ע et nasalibus נ, מ. Quae quidem phonologiae sanscrito-semiticae lineamenta, innumeris exemplis, quae Concordantiae praebebunt, augeri, emendari perficique poterunt. Licet sint imperfecta adeoque adumbrata, sunt tamen instar mappae geographicae habenda, quae cui in regiones plane ignotas commeanti, utcunque mancam eam esse deprehenderit, opportunam tamen atque utilem se praebebit.

Videndum est porro, ut in comparatione literas א (अ), ו (उ) et י (इ) signa vocalium originalium, quae sunt omnium linguarum communes, esse agnoscas. His solis semitismus usque ad interpunctionis inventionem usus est, sonos velociores (uti *a*, *e*, et *o* breve) distinctiores et ad organismum vocabuli elementarem non pertinentes legentibus relinquens; id quod veterum testimoniis luculente confirmatur. Constat, interpretes Alexandrinos atque etiam Philonem, uti ex ejus etymologiis apparet, interpunctione fixa destitutos saepe dialectice hebraica legere; talmudes, etsi textum literaliter intellectum prorsus eodem modo legisse, quo nos, videntur, tamen defectu interpunctionis, ut trita illa אל תקרי demonstrant, ad midrasicae interpretationis introductionem abuti; denique Hieronymum, literas א, ו, י, ע, ה (*â*, *û*, *î* et, ut videtur, *ô*, *ê*)

vocales appellantem, diserte testari, Hebraeos pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diversis sonis et accentibus proferre. Huius triadis fundamento superstructum est systema vocalium et sanscritum et hebraicum, quod vel ipsi illi subtilitate praestat, modo ingentem discriminum subtilissimorum multitudinem reputes, quae ad septem vocales (שבעה מלכים) additis lineolis *Sheba* (חטף), *Meteg* (געיא כבדה) et *Gaja* (שבא געיא) accedit. Hae vocales fundamentales eodem modo, quo sanscritae, ad radicum stirpiumque substantiam pertinent iisque mutatis etymon et cum eo significatio vocabuli mutatur. Quam longe differunt שאר (= יתר), transgredi, redundare; שיר, canere; שור (תור), taurus, quibus respondent sanscritica तॄ, स्तॄ, *ταῦρ-ος*. Quare magnopere falsi sunt ii, qui alphabetum Dêvanâgarî originis semiticae esse propterea negarunt, quod mutatio vocalium in linguis semiticis non mutet etymon, cum in lingua sanscrita dialectisque ejus cognatis, mutatis vocalibus, significatio quoque prorsus convertatur. Literae igitur vocales usurpantur ad vocales longas, quae a stirpe generis ac seminis ingeneratae ad vocabuli quasi corpus pertinent, exprimendas, multisque in verbis, quibus deinde subjici solebant, supersunt, temporis, quo interpunctio nondum inventa erat, reliquiae. Breves enim vocales (uti ex linguae neohebraicae scriptione quodammodo apparet) antiquitus signis peculiaribus non exprimebantur; sed, quemadmodum Indus etiam sine expressae vocalis adminiculo v. ह्वल् legebat hval, sic Semita v. הבל sponte et ultro pronunciabat subjectis brevibus vocalibus, Syrus, ut interpunctio posterius addi solita ostendit, ܗܒܠܐ (מהבלא,

pulverem excitans, ut huc illuc volitet, Sabat 95, a.), Hebraeus הָבַל (cujus *Qamez* non naturâ longum, sed tantummodo propter syllabam apertam positum est), Arabs هَبَلَ (evanescere, Class. IV. cito abire). Verum ad vocales producendas, ut lingua sanscrita ostendit, constanter olim adhibebantur literae vocales א, ו, י, et primum quidem ad significandas vocales verborum eorum, quorum vocalis neque in fine adjicitur neque inter binas consonas media interjicitur, sed in principio vocabuli collocata consonas insequentes sustentat, quae verba partim ad conjugationem s e c u n d a m partim ad p r i m a m sunt referenda (veluti עָנַג, v. comp., quod etiam in linguis indogermanicis cum praepositione vocali, quam hebraica variat in vv. פָּ־נַג et fort. דָ־נַג, vinculo indissolubili copulata comparet). Probe vero discerni oportet inter literam vocalem eam, quae nonnisi pronunciationi inservit, atque eam, quae, ut in triliteris usuvenit, potestatem insitam habet, qua notio verbi subtiliter distinguatur. Multo facilius cognitu est literarum vocalium munus mere phoneticum m e d i i s in verbis conjugationis s e c u n d a e, cujus verba binis e consonis constant, vocali longa comprehensis. Longa vocalis talis verbi, quale nos נבוב, Arabes اجوف nominare consuevere, plerumque est *â*, quod aliquot in verbis etiamnunc litera vocali designatur, veluti באשׁ, foetere, = पूय्, *πύϑ-ειν*; זאב, iracundum esse, = कुप्, c u p-ere; סאן (זין, שׁין), acuere, = श्रो, *ἀκουᾶν*, maximam autem partem signo subscripto indicatur, velut קָם = קאם, רָם = ראם. Rarius est י medium, et nonnisi comparatione plane non dubia evincendum, uti aram. סיב, albescere, ca-

nescere, = दीप् ; nam pleraeque ejusmodi formae, ut *Ewaldus* egregie observavit (Gramm. 1838. §. 245.) ex conjugatione *Hifil* per apocopen novatae sunt. Rarissimum est ו medium; nam etsi linguae sanscritae collatione verisimile fit, aliquot verba (quae tamen singularem conjugationem efficere non possunt) vocalem *û* intermediam a principio habuisse, velut זוג, conjungere, conjugare, = युज् ; לוט, latere, λανθάνειν = लुड् : — tamen classem peculiarem vv. ע״ו nonnisi grammaticis debemus, notumque est, vel in lingua arab. و et ى media verborum concavorum nunquam radicalia, sed quoties vel ipsa vel eorum loco Fatah aut Kesre compareant, formativa esse ac modalia (3 pr. قَامَ, سَارَ, nunquam قوم, سير). Pro litera א, *â* productum exprimente, ponuntur etiam, cum aliquo discrimine pronunciationis, ע, velut גער, mussare, increpare, = गृ; זעף, irasci (= זאב); — ה, velut דהר, ire, currere, δρα-μ-εῖν, = धुर्; להט (Ex. 7, 11) = לאט, לָט, et litera ה vocalem *â* indicans, nonnunquam induruit et in ח mutata est, sicut in v. גחל (= גהל, גָּל, cal-ere) = ज्वल् (sicut hebr., translate de irâ, *Hidimbavadd'a* IV, 48.). Est vero summa cautio adhibenda, ne cum verbis concavis, quae interjecta litera vocali distincta sunt, commutes praepositionalia, quorum media litera radicem inchoat, velut נָ־אַר (debellare); אָ־וַל (deciduum esse); הָ־יָה (הָ־וָה, sanscr. b'û, φυ); נָ־הֵג (ag-ere, sanscr. ag, aj); גָּ־עַר (ad-ur-ere); נָ־הַל (einlösen).

Literae vocales porro adhibentur ad significandam longam vocalem, in quam exeunt verba conjugationis tertiae, bilitera illa vel trilitera et in

vocalem longam desinentia, quae non aliter ac per literam vocalem exprimi potest. Constat autem, pleraque verba semitica vocali *â* concludi (cujus nonnisi species est *Alef* cum *Zere* intransitivo), qua in vocali exprimendo lingua hebraica literâ ה, aramaica literâ א crebrius utitur, velut כָּנָה, novisse = ज्ञा, γνω; בָּרָה, nutrire, βρω = भृ; פָּרָה, ferre, φερ = भृ; עֲרָא, fra-gra-re, = घ्रा (unde, ut videtur, עֲרָא, laurus, Gitin 69, b.; עֲרוֹן Batra 83, a., quod alibi male scribitur אָרוֹן); חֲרָא, urere, torrere = श्रा (श्रै); סְנָא (prolong. סְנַן), abluere, purgare = स्ना (unde סַנְיָא דִיבִי, intestinum excrementa egerens, Cholin 50, b. סַנְיָא גַבְיָא, argentum elutum electum, Trg. Prov. 8, 19. ܣܢܝܢ, ablutus, purgatus, *Peshitho*). Neque infrequens est usus literae ע ad vocalem finalem verborum designandam, velut זְרַע, aram. דְרַע, דְרָא, טְרָא, quorum potestates mirifice concinunt cum rad. धृ; literae ה, velut מָה, negare, sanscr. न, non (in vv. נָא, מְ־נַע), मा, ne; et vel literae ח, in quam ה induruit, uti infra videbis, quae literae omnes non sunt e consonis emollitae (id quod in gratiam trium consonarum nonnulli finxere), sed, ut vocales, radicis partem constituunt. Litera י in hebraica lingua nunquam, crebro in aramaica ad vocalem finalem vv. conj. III. adhibetur, e. c. דְאִי (unde דַיָא, nomen milvi), volare = डी; כְּרִי, emere, = क्री (c. वि = מְ־כַר, vendere); נְחִי, ducere, νέεσθαι = नी, qua in re rursus confirmatur res certissima, linguam aramaicam utpote forma vetustiorem ad sanscritae speciem propius accedere. Interdum י adjecto *Zere* paullum distinguitur, respondente, ut videtur, Indorum ऊ vel ॠ, e. c. טְרֵי = טְרָא, sicut

त्रै = त्रा, τηρ-εῖν, tueri. Radices vero, quae in ו desinunt, neque hebraica neque aramaica lingua exhibet, nam שָׁלַו, salvum esse vel silere, huc referri non potest, et vv. בּוֹא, נוֹא etc., quorum *Alef* additítium habere possis, nugae sunt grammaticorum. Quemadmodum vero arabica lingua verba in و et ى exeuntia eo servavit, quod ex litera vocali consonam fecit vocali emphatica insignitam, velut قَصُوَ (quae forma tam rara est, ut paene tota vacillet) aut خَشِيَ, vel etiam, adjecto signo vocalis, quasi per *Vriddhi* diphthongum, velut رَمَى, aram. רְמֵי, jacere, رَعَى, aram. רְעֵי, pascere: sic etiam hebraica lingua productione quadam, scilicet adiecta litera paragogica, has radices sibi conservavit et paullulum immutatas retinuit, e. c. דָּוָה, prolong. ex *dû*, sanscr. दु; נָוָה (Ex. 15, 2.), prolong. ex *nû*, sanscr. नु, laudare; כָּוָה, prolong. ex *kû*, *καί-ειν*, *καύ-σω*. Et omnino creberrime ex vv. biliteris conj. I. conformantur vv. conj. III., addita litera vocali, uti haec exempla tibi monstrabunt: בָּטָא (unde neoh. מִבְטָא), eloqui, pronunciare, conform. ex בט, sanscr. पठ् (de cornice loquente, *Hitopadesi* Particula, ed. Bernstein p. 7.); וָדָה, loqui, canere, *ἀείδειν*, conform. ex וד, sanscr. वद् (causat. de fidium cantu); כָּמַהּ, Ps. 63, 2. Targ. (רְגִיג לָךְ בִּסְרִי), desiderare, conform. ex כם, sanscr. कम् (quod usu suo verbo hebraico ex asse respondet); יָדַע (וָדַע), *Ϝιδεῖν*, vid-ere, conform. ex וד, sanscr. विद् (usu, sicut hebr., latissime patens, et vel iisdem translationibus), atque etiam intr. טָמֵא, obscurum, impurum esse (opp. טָהַר,

splendere), conform. ex טם, sanscr. तम् (unde *tamas*, tenebrae, multaeque ad luctus squalorem translationes).

Haec fere indicanda putavi de literarum א, ו, י et, quae ad vicem earum proxime attingunt, literarum ע, ה, ה, ח virtute *vocali*, sine cujus agnitione claudicabit atque vacillabit omnis comparatio. Quare majorem etiam exemplorum copiam in tabula subjecta addidi ac disposui, quibus sententiam modo latam de usu literarum vocalium triplici confirmatum iri confido. Adposui autem unam tantummodo verbi tum hebraici tum sanscriti formam, quia ad id, de quo agitur, demonstrandum varietatibus illis supersedere poteram, quibus, ut infra exponam, verbum prope unumquodque hujus et illius linguae emollitur, induratur vel amplificatur.

(LITERAE VOCALES IN VERBORUM INITIO, MEDIO ATQUE EXITU EARUMQUE VICISSITUDINES.)

Class. I inc. א	אָן	अन्	*ἄν-εμι*	אָת	अट्	venire	אַשׁ	उष्	*αἴθ-ειν*
- - - ה	הָג	अज्	*ἄγ-ειν*	הָד	ईड्	laudare	הָם	अम्	sonare
- - - ח	חָט	अत्	ligare	חָל	अल्	*val*-ere	חָשׁ	अत्त्	occupare
- - - ע	עָג	अग्	intorquere	עָנַג	अञ्ज्	*ung*-ere	(לְ-) עַט	अद्	*ed*-ere
- - - י	יֵשׁ	अस्	*es*-se	יַב	अम्	clamare	(יָרָה) יר	ईर्	jacere
- II med. א	דָּאַב	तप्	*tab*-esce-re	כָּאַר	खुर्	fodere	לָאַט	लुट्	*λαθ-εῖν*
- - - ו	אוֹר	UR	*ar*-d-ere	בּוֹשׁ	भास्	pallescere	טוֹב	दीप्	splendere
- - - י	כִּיר	खिद्	*κήδ-ειν*	מִית (mri-t)	मृ	*mori*	פִּיד	पीड्	*πιέζ-ειν*
- - - ה	אָהַב	अव्	*av*-ere	זָהַב	तप्	*tep*-ere	צָהַר	सृ	nitere
- - - ע	זָעַף	कुप्	*cup*-ere	מָעַד	मथ्	motitari	צָעַק	शुच्	ejulare

(LITERAE VOCALES IN VERBORUM INITIO, MEDIO ATQUE EXITU EARUMQUE VICISSITUDINES.)

Class. III fin. א	דָּרָא	दृ	*δέρ-ειν*	יָרֵא	श्री	*ver*-eri	טָא	धृ	*θύ-ειν*
- - - ה	דָּאָה	डी	volare	נָהָה	नी	*νεῖ-σθαι*	בָּרָה	वृ	eligere
- - - הּ	כָּהּ	क्षी	exstingui	לָהּ	ली	languere	מַהּ	मा	= *μή*, rad. pronom. negare
- - - ע	גָּרַע	गृ	*κείρ-ειν*	זָרַע	धृ	*ser*-ere	(נָ־) טַע	धा	*θῆ-ναι*
- - - ח	לָח	ली	*liq*-uescere	שָׂמַח	स्मि	*σμειδ-ιᾶν*	פָּח	वा	*Ϝαῆ-ναι*
- - - י	כָּרִי	क्री	emere	(אָ־) שִׁי	शी	*si*-tum esse	לְאִי	लिङ्	*ling*-ere
- - - و				سَرُوَ	सुर	gloriosum esse			

Inprimis vero unicuique comparationem linguarum modo et ratione instituturo sciendum est, id quod comparatio luculente pridem evicit, *radices* (quo nomine elementa vocabulorum primitiva, in lingua ipsa non usitata, sed in derivatis propius remotiusve a radice dissitis conservata intelliguntur) tria in genera dividi oportere, quae si in unum confundere velis, in teterrimas insulsitates, cujus exempla odiosa sunt, laboriosissimosque errores, in quibus non sine probro versabere, tua culpa incides. Primum genus de his orationis humanae initiis efficiunt radices verbales, quae, a specie simplicissima et, cum nuda non reperiatur, animo tamen concipienda profectae, vel formatione vel compositione soliditatem nanciscuntur et in stirpes accrescunt. Si quod de tribus sermonis principiis ceteris duobus censendum est tempore prius, dignitate potius, profecto verbum primas tenere concedendum est, utpote quod solum in semet ipso cunctas partes enunciati quasi involutas continet et sententiam in semet ipsa absolutam solum exhibere potest, cujus infinitivus uti in sanscriticis, sic etiam in semiticis linguis, substantivum, cujus participium adjectivum est, nomen utrumque[1]) et e verbo quidem

[1]) Grammatici arabici infinitivum nominant إِسْمُ ٱلْفَعْلِ (שֵׁם הַפֹּעַל), participium activum إِسْمُ ٱلْفَاعِلِ (שֵׁם הַפֹּעֵל), participium passivum إِسْمُ ٱلْمَفْعُولِ (שֵׁם הַפָּעוּל). Ceterum grammatici et arabici et judaici tres partes orationis agnoscunt. *Simson ha-Naqdan* (10, b.): לשון הקדש נחלק בג׳ חלקים בפעולות ובשמות ובמלות הדבק· Arabes إِسْمٌ, فِعْلٌ

quasi materno ex gremio prognatum. Est etiam illud perquam memorabile, verbi, quod neque in sanscriticis linguis neque in semiticis sine pronominum mutilorum et quasi decurtatorum assumtione flecti potest, tertiam personam sing. praet. in linguis semiticis omni pronominali affixo carere et nonnisi literis iis constare, quae radicales (أَصْلِيَّةٌ, שָׁרְשִׁיּוֹת), oppositis servilibus, appellari solent, veluti זַךְ (purus est), זוּג (ζευγ-νύει), תֵּן (τείν-ει), cum in sanscrita affixum त्, stirpis pronominalis demonstrativi compendium, in fine 3. ex regula adjici oporteat, veluti शुच्यति (rad. शुच् = זַךְ); युनक्ति (rad. युज् = זוּג); तनोति (rad. तन् = תֵּן); quae quidem res idcirco digna est inquisitione, quod grammatici et indici et arabico-judaici tertiam personam ceteris binis consentienter praeponunt. Neque minus mirum est, grammaticos Indorum aeque ac semiticarum linguarum magistros indigenas ei errori favere, ut verbum omnium vocabulorum, vel minutissimarum particularum, seminarium esse censeant: qui error ex sensu quodam veri interno, sed nimium opinabili aequalitatisque cupidine seducto manavit. Intellexerunt enim verbi dignitatem ac feracitatem, nec sine causa in abstracto posuerunt ejus prioritatem, at in eo peccarunt, quod in nominibus a verbis deducendis nimis praefracti nullam exceptionem concedebant, et, conficta haud exigua radicum commentitiarum multitudine, vel stirpes pronominales, quae nullis verbo-

et حَرْفٌ discernere in vulgus notum est. At tria radicum genera non agnoscunt, totam vocabulorum copiam e verbo emanasse ponentes.

rum radicibus innituntur, cum verbis temere conglutinabant. Si quis vero in linguae naturam penitus intraverit, sponte intelliget, verbum, licet utrovis radicum genere multo perfectius, multo, ut ita dicam, sibimet ipsi sufficientius, multo denique fecundius, cum non solum modaliter, sed etiam personaliter flectendum sit, radices pronominales requirere, quas ad relationes personales significandas assumere queat; deinde nominum, quorum si plurima, tamen non omnia a verbis derivari possint, duo genera esse, unum eorum, quae verba subjecta habent et lineamentis coloribusve a verbis iisque tritis usu desumtis rem designandam depingunt, aut infinitivi aut participiorum (quos tres nominum derivatorum prototypos esse censeo) similia; alterum eorum, quae sine verbi medio orta sunt, rerum sub sensus cadentium quasi imagines de vivo expressae, partim *ὀνοματοποιήσει*, quae in lingua, utpote mentis intelligentiaeque opere, rarior est, quam suspicêre, partim arcana illa atque incomprehensa literarum coagmentatione, quam conjectura non assequi, nedum, ut nonnulli somniant, scientia complecti possumus. Ad priorem illam nominum primitivorum speciem, quae non interveniente verbo nata sunt, referri oportet v. c. תּוֹר, bos (n. epicoen.), pers. گاو (Pott I p. 87.) et gr. *ΒΟΥ*, *ΒΟϜ*, quibus, uti comparatione edocemur, nullo modo antiquiora sunt vv. גָּעָה (1 Sam. 6, 12. Job. 6, 5.), גְּעָא, targ. et gemar. (j. Berakot II, 8. געת תורתיה קומוי, rugiebat vacca ejus ante eum), *γοᾶν* et *βοᾶν* quae, cum linguae in rudi sonorum imitatione utpote mere subjectiva sibi non constent, et sono et significatione differunt; nnm. כֶּלֶב (der Kläffer), canis

et עֹרֵב, corv-us, sanscr. कारव (non comp. cum interrog. ka, sed corvi cornicisve crocitantis imaguncula), ad quae nomina linguae veteres nulla verba exhibent, unde derivata esse possint, nam de canis latratu et sanscrite et hebraice dicitur נָבַח (Jes. 56, 10.) = बुक्क् (quae rad. hac collatione extra omnem dubitationem ponitur), de corvi crocitatione קָרָא (Ps. 147, 9.) = गृ (עָגוּר, de pipitu hirundinis), क्रुश् (quocum, ut Pottius I p. 266. ostendit, plura avium similium nomina cohaerent). Haec quatuor nomina logice quidem radicem verbalem praesupponunt, siquidem qualitas antecedit qualificatum, appellatio appellatum ac mera cujuslibet status notio prius cogitanda est, quam in subjecto aliquo collocetur; quin sunt haec nmm. ad prototypum participii *Benoni* conformata — at, quia mente linguae fictrici tempus spatiumque saepe ita negatur, ut logicus ordo invertatur et historica series constringatur, primitivorum nominum dignitatem obtinent, verba sua momento eodem congenita quasi in utero gestantium. Ad alteram nominum primitivorum speciem, quae non sunt vel verbalia vel ad sonum *τῶν σημαινομένων* efficta, sed arcana literarum coagmentatione immediata rerum simulacra, pertinent multa nomina consanguineitatis, brutorum, lapidum, plantarum, elementorum etc., in quibus, quoad fieri potest, discernendum est inter ea, quorum origo verbalis vetustate obruta est, et inter ea, quae aboriginum instar sine verbi semine sponte provenerunt, velut אָב, אֵם, primi labiales balbutientis parvuli, sanscr. (additis terminatibus nomin.) *pi*-tṛi, *mâ*-tṛi, quorum nmm. etymon verbale fingi facile potest, sed non exstat; בֵּן, בַּר (hieros. בִּיר), quod literam extre-

mam etiam abjicere potest, sanscr., rursus forma ab origine remotiori, *pu*-tra, *πόϊς*, puer, pers. pussr, pur (*Shah-pur*, n. pr., regis filius, gemar. שָׁבוּר); אָח, frater, quod nomen cum verbo consuendi nonnulli sutura infelicissima compegerunt, sine simili sanscrito; נַעַר, vir, adolescens, sanscr. *nṛi*, *nara*, pers. ner, *ἀ-νήρ*; עַם, אֵם, populus, usu suo antiquissimo: *hom*-o, quod Boppius ingeniosius quam verius a rad. भू deducit; אֶרֶץ, אֲרַע, אֲרַק, terra, arm. ard (أَرْضٌ), teut. airtha; גַּי, גַּיְא, גֵּיא, גֵּיא, terra, plaga, sanscr. *gô* (quocum mythi indici glutine A. G. de Schlegel[1]) nomen bovis conglutinanavit), gr. *γῆ*, *γαῖα*, goth. gavi (regio, pagus); אָח (Jer. 36., arab. إِخٌّ), nomen pervetus et aetate talmudica dudum exoletum (Sabat 20,a. b.), ig-nis (deinde olla, in qua incenditur, focus), sanscr. *ag*-ni (Bopp, Gramm. Crit. §. 110. annot.); יוֹם, *ἡμ-έρα*; עֵז, sanscr. अज, gr. *αἴξ*, *αἰγ*, armen. aedz; יַיִן (= וַיִן), *Fοῖν-ος*, vin-um etc. — quarum stirpium nominalium radices in ipsismet, non in verbo quaerendae sunt. Quamquam e verborum seminibus prognatae non sunt, tamen nec mero lubitu conficta sunt nec sensu et quasi vita carent; at significatio eorum nativa nobis occulta est, quam etiamsi nossemus, vinculum tamen illud, quo signum et signatum cohaerent, nequaquam intelligeremus. Eadem ratio secreta penitusque retrusa latet sub particulis, in quibus conjunctio immanentis potestatis cum forma externa tantumdem habet mysterii. Sunt enim monosyllabae, vocaliter et cum ma-

[1]) Bibliotheca Indica, II p. 288. ss. (Die Kuh und die Erde).

xima quidem varietate exeuntes, unâ consona ordientes vel tantummodo una vocali constantes, et tamen tanta in his linguae quasi atomis significationum subtilitas ac multiformitas, tanta in corpusculis tam pusillis quasi animorum acies atque magnitudo! Tertium enim genus radicum complectitur *pronominales*, h. e., pronomina, deinde particulas orationis contextae, quo adverbia, praepositiones et conjunctiones pertinent, denique interjectiones et numeralia, magnum illud particularum agmen, quibus relationes personae, generis, casus, numeri, loci, rationisque variae significantur, quae quasi nervi atque artus orationis sunt eamque sua implicatione toto ejus corpore pertinenti continent, quae orationem, alioqui exsuccam atque exsanguem, vinculis animalibus colligant, ut ne vita ac sensu careat, quibus, ut brevi dicam, oratio ex verbis nominibusque conserta animatur, figuratur, coloratur atque multifariam distinguitur. Hae radices pronominales mirifice variantur, etiam declinationis archaicae reliquias ostendunt, magnam partem alternis correlatis sibi respondent et compositione, ut deinceps videbimus, glomeraminum crystallinorum instar variis ac paene infinitis modis cumulantur.

De hac, quam modo paucis deformavimus, radicum triade exponenda nunc sunt nonnulla sigillatim, et primum quidem de radicibus verbalibus, quarum naturam et propagationem si non penitus explicaturus, certe tanquam diagrammate adumbraturus, longum in sermonem vocor. Prius autem quam de radicum verborum sanscritorum cum hebraicis necessitudine disseram, pauca praeponenda sunt de via ac ratione, qua grammatici Indorum radices abstraxerint atque informaverint. Scito igitur, grammati-

cos indicos radicem nominare consuevisse *στοιχεῖον* unumquodque, quod toti vocabulorum genti, avulsis omnibus vel flexionis vel deductionis elementis formativis atque accidentalibus, quasi principium insecabile subesset, unde omnes formarum varietates initium duxerint. Hujus principii abstracti simpliciorem formam, quantumvis ultro se offerret, non consectabantur, quare inter radices ab iis positas, quae summam fere millium duorum et quingentorum conficiunt, permultae sunt, quae non sunt radices proprie, sed stirpes e seminibus altius radicatis prognatae. Multas illi radices, quae plane nullae sunt, inprimis classis X. (fin. अय्), a formis e radicibus secundarie factis effinxerunt; haud paucae denominativae sunt, velut illud मूल् (radices agere, ut-mûlaj, radicitus evellere), a nom. मूल, quemadmodum הִשְׁרִישׁ (שֵׁרֵשׁ), أَصَّلَ a nmm. שֹׁרֶשׁ, أَصْلٌ. Multae radices, quae ab iis proponuntur, ideo radicum nomen non merent, quia stirpes potius cum praefixis concretae aut paragogâ epenthesive auctae censendae sunt, ut compluribus deinceps exemplis demonstrabimus. Sunt vero etiam aliae causae, propter quas numerus radicum sanscritarum sub grammaticorum indigenarum manibus in majorem numerum accrevit; nam praeterea quod non omnes radices elementa simplicia repraesentant, sed plurimae sunt vel compositae vel g u n a t a e aliove modo distinctae, sejunxerunt etiam separatimque perscripserunt eas, quae, cum eidem fundamento innitantur, tamen vel varias sequuntur conjugationes vel scriptione differunt cum aliqua phonetica et fortassis etiam dynamica discrepantia, quam silentio praeterierunt. Porro multas radices commenti sunt ad nmm. vel absolute vel rela-

tive primitiva (quorum verum etymon ignorabant et saepe ipsorummet caligine obscurabant) verbaliter explicanda; qua ex licentia luxuriosa provenit verborum suspectorum seges, quae vim eundi, sonandi, delendi continere perhibentur. At cave, ne in his radicibus summatim reprobandis inconsulte ac temere agas; rejici potest nulla, nisi, ceterarum linguarum analogia probabili ac satis idoneâ destituta, fictae ac commentitiae speciem prae se ferat. Multae radices, quas, cum nullo, quoad scimus, sanscritarum literarum exemplo approbentur, pro fictis atque adumbratis habere possis, semiticarum linguarum collatione firmiter stabiliuntur, et si concedi nequit, id quod *Colebrooke* asseveravit, prope omnes, quae feruntur, radices sanscritas in *Vedis* reperiri, perquam tamen verisimile est, futurum, ut haud paucae, quae adhuc commentis adnumerantur, si Vedorum cognitionem ampliorem nacti erimus, uberrimis exemplis confirmentur. Quin et hoc agnoscendum est, grammaticos Indorum aliquot radices, quas comparatione ceterarum linguarum supplendas intelligimus, plane neglexisse. Frustra in libris radicum vel *Kasinathae* vel *Vopadevae* quaesieris radicem nominis जानु, *γόνυ*, genu; nam rad. जन् (nasci, generare) est quidem origo nominum (हनु), זָקָן, *γέν-υς*, *γέν-ειον*, gen-a, a barba s. lanugine in mento malisque progerminante; at n. g'ânu radicem aliam habet, quam etiamnunc vv. semitica חָן, חָנָה, כָּנַע, حنا, ܓܢܐ (גְּנָא), vi flectendi s. inclinandi, repraesentant. Nómen नासा, nas-us, non primitivum est, sed, sicut אַף ad v. anhelandi s. spirandi (אַף, אָנַף, unde אֲנָפָה), sic etiam n. nâsâ referendum est ad rad. *NAS*, aram. בְּנַם (anschnauben), cf. نشا, quam

radicem nullus de *Koshis* Indorum exhibet. Ad nomen मेधा (मधस्) explicandum non sufficit rad. मन् (מָן, תְּמוּנָה), sed, uti jam *Boppius* suspicatus est, supplenda est rad. मेध्, quae, si cum *Fuerstio* vv. לָ־מַד, *μαθ-εῖν* conferas, aeque certa est, ac si omnes *D'âtupâtarum* indicorum ejus veritatem testificarentur. Eodem modo v. נאם (נְאֻם, oraculum) ad radicem sanscritae linguae obsoletam intendere videtur; at satis habeo, his exemplis defunctum esse.

Sequitur nunc, ut nonnulla praemittam generatim de arctissimae conjunctionis necessitudine, quae inter radices verborum sanscritas et semiticas intercedit. Primum igitur radices verbales tum sanscritae tum semiticae *monosyllabae* sunt. Omnes enim radices, quae dicuntur, polysyllabae in lingua sanscrita habendae sunt pro praepositionalibus, velut अवधीर् (= ava + d'îr), aut pro reduplicativis, velut जागृ, *γρηγορ-εῖν*, red. ex r. गृ, עֵר, *ἐ-γείρ-ειν*), aut pro denominativis, velut पुष्प् (aufknospen, sich entfalten) a n. पुष्प, flos. Vocalium autem in verbis triliteris duplicitas hebraicae, triplicitas arabicae linguae tantummodo dialectice propria est, non originaria, uti aramaica lingua, quae antiqua integrius puriusque repraesentare solet, ostendit. Porro, radices semiticae, uti sanscritae, non sunt certo consonarum numero adstrictae; sunt enim partim uniconsonae, vocali vel inchoante vel concludente, partim biconsonae, binis consonis constantes, quae vocali intermedia aut finali animantur, partim triconsonae vel etiam pluribus e consonis, quae monosyllabe pronunciari possint, coagmentatae. Quamquam verba pleraque

triconsona (necesse est, hoc novato nomine uti, ut literarum vocalium vel intermediarum vel finalium computatio excludatur), utpote praepositionalia, e radice et praefixo emphatico composita, aut paragogica, e radice additâ levi consonâ prolongata, aut aliis modis, de quibus infra, e verbis nominibusve secundarie efficta, nonnisi abusu inveterato radicum nomen gerunt, et pluritas illa consonarum, quae numerum ternarium etiam superat, plerumque vel agglomeratione externa vel interna dissolutione orta esse deprehenditur. Ostendant haec verba, quae subjicio, quomodo regio radicis pedetentim se porrigat numerusque literarum quasi per scalarum gradus paullatim accrescat, ita ut e radice improviso transitu stirpem enatam esse ex inopinato animadvertas.

इ	י (אִי) [1])	आस्	אֶשׁ	वा	פֶּה
पिञ्ज्	פֵּר	अञ्ज्	עָנַג	स्था	פָּתָא
क्रुश्	כָּרַן	मिश्र्	מָוַר	स्कन्द्	צָעַר

Tertio, radices sanscritae et hebraicae elementa primitiva et themata abstracta sunt, in lingua ipsa, ut radices, non usitata et vocali primitivà instructa, quae a vocalisatione, quam radix, cum formatur, accipit, probe est discernenda. Radix enim sanscrita,

[1]) Radix, ut videtur, nominalis, anglos. *ig*, *aege* (*Eiland*), gr. *αἰγ-ιαλός*, *Αἰγ-αί*, mare Aeg-eum etc. ***Fuerstius*** in Concordd. s. נָאָה hoc n. ex נְאִי = נְעִי abbreviatum arbitratur, terra in salo (insula) pensilis ac fluctuans, *νῆ-σος*.

uti et semitica, nucleus est per vocalem animatus et in semet ipso absolutus, qui deinceps quasi vestitum et glumam accipit idque partim per externa pronominum abbreviatorum additamenta (in quibus neutiquam, ut asseruit *Fr. de Schlegel*, linguae semiticae a sanscriticis differunt), partim compositione cum praepositionibus praefixis et significationem nativam multiplicem in modum variantibus (quae et ipsae in utraque linguarum gente sunt eaedem), partim etiam vocalium interna vicissitudine, qua ad nonnullas formas verbi neque praefixum neque suffixum adjicitur. Neque negari potest, id quod *Boppius*[1]) in medium protulit, in eo differre linguam sanscritam a semiticis, quod vocalem verbi peculiarem per omnes verbi conversiones, quae incrementis extrinsecus accedentibus efficiuntur, retinet, nisi quod eam nonnunquam producat aut per *Guna* vel *Vriddhi* intendat, cum haec contra vocalis interna variatione consonarumque radicalium varia in syllabas dispertitione tanquam altero instrumento utatur ad notionem subjectam modaliter et temporaliter distinguendam. Infinitivus et participia, ut exemplum afferam, in lingua sanscrita adjectis terminationibus *kridanticis* conformantur; in lingua hebraica vulgari participia *Qal* et infinitivi, in aramaica item participia *Qal*, in arabica participia activa conj. I. et nonnullae infinitivorum formae nonnisi vocalibus internis a verbo simplici differunt, nulla radice pronominali adjecta, quae quidem in nonnullis quoque verbi sanscriti formis, nihilominus tamen vocali verbi servata, deest. Huius tamen inter sanscritismum et semitismum dis-

[1]) Annales Vindobonenses, XLII. p. 251 ss. Grammatica Comparativa §. 107.

criminis multum intercidit, si reputes: 1) vocalem radicibus verborum a grammaticis indicis inditam, quae, cum in conjugatione verbi permaneat et nonnisi quantitative immutetur, saepe tamen in ipsis, quae perhibentur, radicibus variat mirasque varietates, quae eodem redeunt, procreavit (qua in re immoderata plane licentia coptica utitur lingua), istam inquam vocalem minime propter hanc vel grammaticorum notationem vel propagationis stabilitatem radicalem dici posse, sed potius vocalem verborum et sanscritorum et semiticorum absolute radicalem nonnisi, collata verbi indigenae ejusque ceteris in linguis similium structura atque conjugatione, tali abstractione aut comprobari aut inveniri posse, qualis neque a grammaticis indicis neque ab arabizantibus institui poterat; 2) exempla vocalis verbalis vel intensione vel coalitione immutatae atque notae personalis abjectae (id quod tantummodo perpaucis in formis vel semiticarum linguarum usuvenit) ne in sanscrita quidem lingua deesse[1]), minus etiam in linguis ejus affinibus, mul-

[1]) Huc pertinent e. c. immutatio vocalis radicum composita *Bahurrihi* concludentium; forma nuda, qua his in compositis infinitivus apparet, abjecto casus signo, velut ǵêtu-kâma (vincere cupiens); mutatio vocalis radicum quarundam in nmm. abstractivis, velut st'i-ti, status, a rad. st'â; gunatio vocalis radicalis in class. I. et X.; mutatio finalis ऋ (ॠ) in अर् (quod in radicibus hebraicis, quae respondent, constanter scriptum est); denique amplificatio vocalis radicalis in aoristis et in praeteritis reduplicativis, in quibus insuper 1 et 3 p. sing. ac 2 pl. expressae personarum notae deficiunt (*tatana* = tatanam; *tatâna* = tatânat; *têna* = tênata), quemadmodum etiam nonnullae imperativi formae suffixo personali carent, nescio utrum mutilatione an potius psychologica semitismi similitudine. Notandum est etiam, a lingua sanscrita, vocalem *a*, cujus pronunciationem subtilio-

tasque praeterea etiam in sanscrita inveniri convenientiae cum semitismo reliquias, quarum multo plures inveniemus, quando, perponderatis punctationis praeceptis, leges sanscriticae de soni roboratione, debilitatione atque conversione cum semiticis erunt compositae. Quod vero ad libertatem semiticarum linguarum in consonis verborum syllabizandis attinet, haud scio an fallar, si illas hac in re speciem majoris antiquitatis gerere contendam. Nam quod linguae semiticae consonas radicem constituentes in verbo flectendo saepe vocalisatione disjungunt, cum in sanscriticis inseparatae maneant neque vocalium interventu unquam divellantur, id demonstrare mihi videtur majorem semitismi in tractandis radicibus libertatem, e subtiliori concretionis radicum sensu manantem, qui, cum in Semitarum mente recens vigeret, obsolevit apud Indos. Quodsi hos in radice verbali rigidi aliquid atque exsanguis conspexisse concedendum est, quasi obstupefactis nervis ac torpore hebetatis artubus, eandem in Semitarum ore volubili vivere ac spirare dixeris.

Haec sufficiant de radicum verbalium monosyllabismo, de consonarum, quibus constant, numero indefinito et de tribus modis, quibus in linguam introducuntur; quibus in rebus, singulis singularem librum requirentibus, sanscritismi et semitismi quoquomodo distantium naturalem cognationem certe innuisse puto. Nunc vero, anteaquam ad delineandam doctrinam de stirpium verbalium e radicibus

rem scriptio non significat, rigidius servante, linguas et classicas et gothicas discedere ac proinde periphoniae manifestiora exempla exhibere (*Bopp*, Systema Conjug. p. 143, s. *Fuerst*, Systema Idiomatum aram. §. 87.).

constructione progrediar, ea quae paullo ante disserui, praecipue de cautione in rejiciendis radicibus verborum sanscritorum inusitatis adhibenda, in radicibus verborum lucendi demonstrabo, ita ut simul ea, quae postmodo exponam, uberiori exemplorum copia praeparem.

(RADICES VERBORUM LUCENDI SANSCRITORUM ET HEBRAICORUM ANALYTICE COMPARATAE.)

भा, neoh. et aram. c. literis vocalibus: פָּא (פּוּאָה), פַּע (פַּעְפֵּעַ), hebr. praefixo *Jud:* יָ־פָה, יָ־פַע, aram. יְפָא, יְפַע, translate, uti verbum sanscritum, de pulchritudine, magnificentia atque intellectu. Litera vocalis flexione aut derivatione intercidere potest, hebr. impf. וַיִּיף, et pulcher erat (cedrus) Ez. 31, 7., sanscr. *ni-bh,* similis (in fine compp.). Eadem radix comparet c. litera vocali ineunte, sanscr. अव् *, hebr. אֵב, unde אֵב (Blüthenglanz, Blumenpracht), aram. אַבָּא, nemus, sicut יַעַר, ab arborum frondescentium vel pratorum herbosorum quasi smaragdina viriditate, et v. יָעַף (nisi hoc literarum trajectione ortum est), unde תּוֹעָפוֹת, montium cacumina longe lateque conspicua. Quemadmodum ex gr. *φά-ειν* pervulgari prolongatione fit *φαίνειν,* sic hebraice ex פָּא fit פָּנָה, adsplendescere, conspicuum esse, cujus conjugationes et derivata in Concordd. egregie dilucidata invenies, sanscr. indidem *bhân,* lumen, sol, et formatione tertiaria *bhânumat,* splendidus, gr. *φανός*, lucerna, talmud. פָּנָם (quod nomen perinde semiticum ac graecum esse potest). Cave, ne cum hac radice verba loquendi (פָּה,

פְּעָה, אֶ־פַע, נָ־פַח, *φά-ναι*, fa-ri), quae a significatione nativa spirandi proficiscuntur, confundas.

लोक् sive लघ्, luc-ere (luc-s), *λεύσ-σειν* et formâ etiam simpliciori atque, ut videtur, antiquiori: *λά-ειν*, radices sanscritae ipso usu confirmatae, quibuscum eaedem sunt लोच् (*Hitopadesa*) et लग्*, लङ्ग्* (epenthetice auctum), लुग्*, quas a grammaticis confictas sine causa dixeris. Nam etiam in semiticis variat ejus radicis forma, ut ostendunt vv. דְּ־לַק (c. praep. abbreviata a-d'i), זְ־לַק (זְלִיקִין, scintillae, Targum Misle), לוּק (לַוְקָן, talm., albus, *λευκ-ός*) et בָּ־לַג (comp. c. praep. abbrev. ab'i, plane uti भास्*, lucere), שָׁ־לַג (comp. c. praep. abbrev. sam), unde שֶׁלֶג, nix, talm. אַשְׁלֵג (v. Aruk). Forsitan huc referri oportet etiam v. חָ־לַק (خلق, velut de nitente mucronis acie), politum, laevigatum esse, quod Fuerstius in Concordd. ad radicem लिह् (*λείχ-ειν*) retulit.

भास् (भस्*), quam radicem e rad. *b'â*, addito sibilo, novatam esse ingeniose conjecit Pottius I p. 194. Cognata sunt בָּץ (בֵּיצָה, ovum, aram. demto sibilo: בֵּיעָה), בּשׁ (exalbescere, expallescere, de pudore, quo animus vehementius percellitur), et compp. יָבֵשׁ (ardore solis torreficeri), אָבָץ (unde n. stanni, alias עֲבָץ, בְּעָץ), עֲבַץ (pudefieri). A v. בָּץ (باض) aramaica lingua conformat n. בּוֹצִין, lucerna, sohar. בּוֹסִין. Etiam v. צִין, si in arab. وَصْوَصَ, ut perquam verisi-

mile est, forma ejus plenior continetur, non injuria hoc loco collocaveris.

दीप्, *ταφ*, tep-ere, radix tritissima, quae miras consonarum vocaliumque vicissitudines exhibet. Lingua sanscrita has ejus radicis varietates repraesentat: तप् (de sole lucente, de aqua fervida et vi transit. tepefaciendi), तिप्*, तेप्*, emollita consona finali: शुभ् (vi enitendi h. e. excellendi et illuminandi h. e. ornandi), et injecta epenthesi: दृप्*, शुम्भ्*. Formam duriorem lingua hebr. nonnisi in n. תֹּפֶ־ת, crematio, locus, ubi concrematur, *τάφος* (*θάπ-τειν*, *τέτα-φα*) offert, a v. תָּף, sanscr. धूप् (comburere, de suffitu), pers. تافتن (rad. tâf), unde teft, tepor. At forma mollior, consona initiali multifariam variante, occurrit e vv. זָו (unde זִיו, sanscr. dîp-ti, splendor, veluti florum aut faciei), סָו (unde סִיוָן, quemadmodum זִיו, nomen mensis, a nitore florum arvorumve discoloratorum) et vv. huius stirpis paragogica: זָוָה (זָוִית, syn. קֶרֶן) et talm. סְוִי (Ketubot 62, b. סְוִי לִבָּהּ וּפְרַח רוּחָהּ, ubi *Aruk* verti mavult: obvelata est cor ejus (a v. סָוָה, unde מַסְוֶה et סוּת, sanscr. su, siv, contegere, connectere). Ab eadem radice, assumta labiali *Bêt*, descendunt: דָּהַב (= דָּהָב, aram. דְּהַב, unde דְּהַב et מַדְהֵבָא, nomm. auri et aurifodinae); זָהַב (= זָהָב, unde זָהָב, splendor Job. 37, 22., spec. aurum clarum, coruscans, fulvum, rutilans, unde, mediante nomine, neoh. הִזְהִיב, splendere instar auri, veluti de turturibus rubicundulis); זְאֵב (si lupus, aram. et arab. דִּיב, a pelle fulvo, non a truci vultu

nomen accepit); צָהַב (= צָהֹב, sequioris hebraismi proprium, unde neoh. שֵׂעָר ,פָּנִים צְהוּבִּים צָהוּב, פַּדַּחַת מַצְהֶבֶת, translate vi vel gaudio splendescendi vel inflammandi h. e. ad iram atque indignationem lacessendi); שַׁב (unde שְׁבַב, scintilla, velut בֵּי שְׁבָבֵי h. e. coruscantibus solis ad occasum inclinantis radiis, Sabat **109**, b.), arab. شَبّ, et כַּב (unde כּוֹכָב = כַּבְכָב, stella, cujus similiores sunt radices sanscritae ejusdem significationis: कुप्*, चप्*, गुप्*, gemar. כַּב (adurere, assare), כְּוָא, gr. *καύ-ειν*, *καί-ειν* (cujus similia ignorare se fatetur Pottius I. p. **272.**). Indidem initium ducere videntur vv. flagrandi intensiva literae ***Rês*** epenthesi formata: זָרַב (Job. **6**, **17.**), צָרַב, שָׂרַב; סָרַף, שָׂרַף, צָרַף et fort., praefixa decurtata praepositione प्र, רְ־שַׁף, ad s. f. רְ־פַּם, rad. पद्. Vis splendendi ad pulchritudinem et honestatem transfertur in vv. טוֹב, טְאֵב, יְ־טַב, vis tependi ad tabescendum, sicut in sanscr. tap, in vv. דְּאַב, דָּב, דָּבָה, אָ־דַב; עָ־צֵב et in aram. טְוָא, quod significationes assandi et jejunandi naturali vinculo copulatas continet, cf. sanscr. tâpa, tepor, deinde tabes s. moeror; tap-as, tormentum sacrum (ascesis), aram. טְוָת (Dan. **6**. **19.**)[1]).

रुच्, radix perusitata (vi nitendi, placendi ac laetandi), cujus has quoque formas grammatici po-

[1]) Non assentire possum Boppio, qui in Glossario ad hanc radicem gr. *λάμπ-ειν* (sicut lacruma = *δάκρυ*) confert; quod si recte fecerit, comparare debebis copiosam familiam verborum לָב, לַף (לַפִּ־יד); לָבַ־ה, לָבַ־ן, לָאַב, לָהַב, לָעַב; חָ־לַב, עָ־לַב; זַלְעַף, צַלְהֵב, שַׁלְהֵב, cujus radicis simile difficulter sane in lingua sanscrita reperies.

nunt: रघ् * (confirmat. analogis semiticis), राज् (*Nalodaya*), unde râg′-an, sicut מֶ־לֶךְ (rad· lak), a splendore s. magnificentia, रञ्ज् (*Râmâyana*), coloribus splendidis imbuere, quocum Boppius ingeniosissime contulit *ῥέζ-ειν*, *ῥηγ-εύς*, *ῥῆγος*; adde vv. paragogica hebraica רג־ם (אַרְגָּמָן), רָקַ־ם (רִקְמָה). Multo vero crebrior est radix sanscrito-semitica in vv. compositis, velut בָּ־רַק, respondente sanscrito भ्राज्, quod jam Pottius ex praep. abbrev. ab′i et râg′ compositum suspicatus est, et भ्राश् *, quod eodem modo concretum est, gem., ut videtur, ex lingua persica, בְּרַג, sanscr. वर्च्, velut Sanhedr. 98, a., ubi *Shah-pur*, rex Persiae, loquens introducitur: „Vos dicitis, Messiam, cum veniet, in asino vecturum; ego mittam illi equorum splendidissimos (סוסיא בארג, Codices alii: ברקא, v. Aboda zara 30, a. חמר בארג, vinum optimum). Porro huc pertinent vv. זָ־רַח (de sole oriente, talm. de grossis maturescentibus), פָּ־רַח (metaphorâ tritissimâ vi florendi et volandi), שְׁ־רַג (unde שְׁרַג, lucerna, proverbialiter: שְׁרָגָא בְּטִיהֲרָא, lucerna tempore meridiano, n. pr., sicut אוּרִי, *Phoebus*, etiamnunc inter Judaeos usitatum). Cum radice रुट् *, quae et ipsa potestatem lucendi habere perhibetur, nescio an jure conferri possit v. targumico-syriacum ܪܘܙ, laetari, a vi nativa splendendi, unde secundum *Bar-Bahlul* n. ܪܘܙܐ, *εὐπρέπεια*, venustas, et unde illud targumicum: נְהוֹרָא דְצַדִּיקֵי נְהִרִין (Misle 13, 9.); cum rad. रुष् * autem (quae vim ornandi habet h. e. splendefaciendi,

rûshita, ornatus, Pott. rad. 324.) cohaerent חָ־רֵם (χρυσ), unde חֶרֶם, sol, et חָרוּץ, aurum, χρυσ-ός.

शुष् (siccari), quam radicem vim nativam ardoris, deinde ariditatis habere comparatio linguarum semiticarum confirmat. Inde originem ducunt vv. simplicia זַק (unde זִקִּים, אֲזִקִּים, זִיקוֹת, flammae, gemar. זִקּוּקִין דִּי־נוּר, scintillae ignis), צַח (de pulchritudine, elegantia atque etiam de ariditate), צָחָה, צְחָא, צְחֵי (de siccositate soli vel gulae h. e. siti, e. c. *Râmâyana* II. 53. 40. शुष्यतीव कण्ठो मे, exsiccatur quasi gula mea, hebr. צִחֵה כְּמוֹ גְרוֹנִי) et vv. compp. בַּ־זַק (gemar. הִבְרִיק = אַבְזֵק, bibl. בָּרָק = בָּזָק), נָ־שַׂק (*Hi.* accendere, calefacere), aram. et neoh. נְסַק (*Hi.* אַסֵּק, הִסִּיק). Haec vv. omnia propius externa similitudine accedunt ad rad. चक्*, (c'ak), cujus et affinitas et veritas hac collatione, ut quidem mihi videtur, stabilita est[1]).

लस्, vi *luc*endi, *lud*endi s. *las*civiendi, et, c. ut, *laet*andi. Has potestates participat v. hebr. לָץ, quod e diametro respondet; siquidem primum dicitur vi splendendi, unde *Hi.* splendefacere, spec. orationem luminibus ornare, polite eleganterque dicere (מֵלִיץ, orator, intercessor, poëta; מְלִיצָה, הֲלָצָה, poesis, oratio limata, po-

[1]) Nisi fallor, huc pertinent etiam vv. puritatis זַךְ, זַק, זָכָא, זָכָה, quae non a vi saccandi s. percolandi, sed a vi splendendi proficisci, derivata et comparatio dialectica edocent, velut arab. ذكا, quod in *Hamasa* (ed. Schultens p. 424.) de ardore Sirii dicitur; זְכוּכִית, زجاج, aram. זוּגִי, זְגוּגִי, vitrum, crystallus, etc.

lita, concinna, numerosa, cujus propago rursus est v. מְלַץ, oratione splendescere), deinde vi gaudendi vehementerque laetandi, quam significationem solam exhibent vv. compp. עָ־לַז, עָ־לַץ, עָ־לַם (Misle 7, 18. de voluptatibus et blandimentis venereis, sanscr. vi-lâs-ana, mulierculorum amore captarum ludi ac lenocinia, *Indralôkâgamanam,* V, 13.), denique vi lasciviendi s. illudendi (unde לֵץ, irrisor, cavillator), quam vim habet etiam v. aramaicum קְ־לַם, *Pa.* ludificare, laudare (n. actionis קְלוֹם, quod nonnisi casu ac fortuitu graeci κλέος, κλεῖος similitudinem gerit). Confirmatur hac collatione rad. inusit. लुठ्*, lucere, hebr. לָהַט, unde לַהַט, flamma, lamina s. acies ensis, div. a לָהַט, magia, praestigiae, cujus radix est लुठ्, λαθ, lat-ere etc. Huc referendum censeo etiam rad. ह्लाद् (gaudere, caus. exhilarare), si modo radix est et non potius stirps verbalis eodem modo composita, quo v. סָ־לַד, gaudere, exultare, unde neohebr. סֶלֶד, laetitia, talm. aduri, unde vim gaudendi a splendendo proficisci intelligitur. Ceterum vide, quae ad n. Meliça de hac radice disserui in Historia Poësis Judaicae pag. 200. n. 2.

काश्, कास् (lucere, c. pra: illustrare), cujus radicis etiam hae formae a grammaticis proponuntur: कच्, कुश्, कुस्, क्नस् (epenthet.), चकास् (c'a-kâs), quod reduplicativa syllaba auctum est. Eandem radicem ostendunt vv. hebraica חָשׁ (unde n. חֹשֶׁן, sicut בֹּשֶׁן a v. בָּשׁ, splendidum summi sacerdotis pectorale, das Glanzschild), נָ־חַשׁ (unde נְחֹשֶׁת, aram. נְחָשׁ, aes), gemar. נִץ

(נוץ, נָץ, scintilla, igniculus) et verba duo, quae, plane sicut गम्‌ ex गा, क्रम ex क्रा, addita nasali paragogica, formata sunt: חָשַׁם, unde חַשְׁמַן (neohebr. חַשְׁמַנִּי, aram. חוּסְמַן), splendidus, generosus, nobilis, et, addita terminatione al, חַשְׁמַל (sicut חֲנָמַל ex חָנָם = अश्मन्‌, lapis), natura luminosa (das Glanzwesen) aut orichalcum h. e. aes fulgentissimum (das Glanzerz); deinde כָּתַם, unde כֶּתֶם, aurum obryzum, et, ut verisimillimum est, מִכְתָּם, poema aureolum. Forsitan cum hac radice cohaeret etiam v. חָזָה, videre (metaphorâ in verbis lucendi et semiticis et indogermanicis pervulgari), unde gemar. חֵזוּ, color (חֱזָוָתָא חֱזָוָתָא, discolor, versicolor), et, ut certe traditio innuit, חַז, unde חָזִיז, nubes, nubecula, quae solis radiis inardescens, variis coloribus pingitur variasque species figurat (Gen. Raba f. 16, b. c.).

नन्द्‌ (gaudere), vi sua nativa: nit-ere, goth. nas, uti formae नद्‌* et नद्‌* ostendunt, hebr. נָם, נם (נֵם, sicut דֶּגֶל, vexillum e longinquo conspicuum), נָץ, נָצָא (semel Jer. 48, 9., targ., mutato *Zade* in *Ghain*, נְעָא), quae verba translatione duplici perusitata sunt, primum florendi (quam metaph. participant vv. אוֹר, unde אוֹרוֹת; אָ־זַב, unde אֵזוֹב, et עָ־שַׂב, unde עֵשֶׂב, rad. शुभ्‌; זָו, unde זִיו, סָו, unde סִיוָן, יְאַר samarit., הָ־צֵר, לַבְלֵב, פָּ־רַח, צָץ), deinde cito se movendi h. e. vel currendi vel volandi (quemadmodum דַּר, פָּרַח, al.). Fortasse rad. नद्‌, vi sonandi, unde nâda, strepitus, uti forma, sic etiam vi nativa, est eadem; nam significatio lucendi praeterea, quemadmodum ad laetandum, sic etiam ad

acriter sonandum transfertur, cf. hebr. הַל, חָצֵר, צָהַל.

कुट्*, कूट्*, कुट्ट्*, कुड्*, चद्*, घट्*, ardere, calefacere, comburere. Harum formarum, quibus unam radicem subesse facile intellexeris, nulla literarum sanscritarum exemplo confirmatur; nos eam hebraicae linguae auctoritate roborare conabimur. Par atque aequale est v. יָ־קַד, arab., ut solet, وقد, accendere, conflagrare, neque addubitari potest necessitudo vv. כַּר (unde כִּידוֹר, scintilla, et כַּדְכֹּד, carbunculus, aram. כַּדְכְּדָן, כַּדְכְּדוֹן), קְרַח, in quo litera vocalis paragogica induruit), vi et conflagrandi et germinandi, velut רוּמָּנָא דְקִדְחָא אַפּוּם דָּנִי, malogranata florens in vase, et latini: cand-ere.

चुर्* (ardere, urere). Hujus radicis veritas comparatione perinde comprobatur, ac si multis locis librorum sanscritorum, quos novimus, legeretur. Cognata et tantummodo specie externa aliquantulum diversa sunt श्रा*, श्रै*, ad quae itidem inusitata jam Pottius contulit v. cre-m-andi (plane, sicut cla-m-are, كَلَمَ, ex cal, قال conformatum). Componenda sunt cum hac radice multiformi inprimis vv. חַר, حَرَّ (siccitate et siti flagrare), חָרָה, שְׁ־חַר (quod nigredinem solis ardore contractam denotat), גְ־חַר (rufescere), צְ־חַר (candescere); nam quemadmodum nomina vasorum mensurarumque prope omnia nativam capacitatis significationem habent, sic colores omnes a luce trahunt nomina, radicum varietate et magis etiam usu distincta. Neque

dubito adjicere v. אַר, utpote quod, cum in lingua sanscrita difficilius sit inventu, e classicis ultro occurrit. Inde cum praefixo יָ־אַר (unde samar. יָאֵר = דֶּשֶׁא, gemar. יְאִירַי n. pr. = אַהֲרֹן, illustris), fort. תָּ־אַר (תֹּאַר), indidem v. נָר (cum litera vocali: נָהַר), quod cum duabus consonis constet, est tamen compositum, ex rad. אר et praep. ni (deflagrare, niederbrennen). Ab hoc verbo facta sunt נֵר, n. participiale, lumen (das Niederbrennende), תַּנּוּר (praefixo ta eodem modo, quo ma in מַבּוּל, nequaquam igitur compos.) et aram. נוּר, unde talm. בֵּי־נוּר, sensu persico: templum Mithrae (Nedarim 62, b.).

सुर्* (Rosen: splendidum, gloriosum esse), radix inusitata et tamen nihilominus certissima; quandoquidem fulcitur verbis hebraicis זָהַר, טָהַר (purum esse, a splendore, uti טָמֵא a caligine; aram. טְהַר, lucere, cf. طَهَرَ et ظَهَرَ), צָהַר (unde יִצְהָר, n. imperfectivum, oleum), חָ־צֵר (colore acri, prasinum esse), סָהַר (aram. סִיהַר, luna, ex sententia veterum: צַר Jes. 5, 30.), et, ut videtur, שָׁהַר (שַׂהֲרוֹן) et שָׂר (unde nomen principis), arab. سرى, سرو (*Hariri* XXIX. اسرا, parall. اظهر). Neque mirere, quod radix simillima सुर्* vim habeat firmitatis ac roboris, cum eandem exhibeat v. hebr. צָר, unde צוּר, lapis, rupes, quod nomen cum verbo constringendi nil habet societatis, et, sicut शूर् (heros), etiam concretive dicitur.

दृ (Rosen: colere, honorare), quae radix non vim nativam suspiciendi habet, ut suspicatur Pot-

tius, sed, uti ex linguis semiticis apparet, splendendi. Par atque aequale est v. simplex דַּר, دَرَّ (unde דַּר, gemma micans; دُرِّيٌّ, stella radians, etc.), et ex hoc verbo simplici et praepositionibus variis coaluerunt vv. אָ־דַר (splendidum, inclitum, illustrem esse) et הָ־דַר, quod plane, sicut â-dṛi, vi honorandi s. magnificandi dicitur, neohebr. הִדּוּר מִצְוָה, observantia praeceptorum, Qama 9, b.

वृ, vi lucendi, quam hujus radicis cum vi deligendi et operiendi communem esse, et derivata ejus sanscrita (wara, insignis, वर्ण, color, unde वर्ण्, denom. classis X., colorare, etc.), et analogiae semiticarum classicarumque linguarum demonstrant. In linguis semiticis hanc radicem gradatim indurescentem repraesentant vv. חָ־וַר (unde חור, חִוָּר, חִוַּר neohebr. et aram., dilucidare; ܚܘܪܐ, dealbatio; ܚܘܪܘܪܐ, חֲוַרְוָר, reduplicata radice, albugo), אֲ־בַר *n.*, plumbum) et simpl., litera vocali injecta: בָּהַר (targ. שַׁבְהַר), cujus consimile est tum forma tum significatione sanscritum बर्ह् *; pertinet huc etiam aram. נְ־בַר, unde נֶבְרַשׁ, fem. נֶבְרַשְׁתָּא, arab. نِبْرَاسٌ, candelabrum, addita terminatione sanscritosemitica *as.* Sequuntur formae induratae compositorum: אֲ־פַר, הָ־פַר, כָּ־פַר, סָ־פַר, עֲ־פַר, שְׁ־פַר et simpl. פָּאַר (splendidum, insignem esse, translate etiam vi crescendi), de quibus nonnulla jamjam monui p. 61. n. 1. Ceterum vide *Pott.* I.

p. 224., quem in hac rad. wṛi significatione supplenda socium habere gaudeo.

घृ* (fluere, lucere). Cognatum est vi lucendi aram. גְּהַר (גִּיהַר, nomen gemmae, ad similitudinem formae צִיהַר), arab. جهر (جوهر, margaritae). Media *He* litera vocalis est (sanscr. ghṛi = gar), minime radicalis.

ज्वल् (lucere, flagrare, *Pott.* rad. 267.), lat. cal-ere, pers. زغال (ze-ghal), quod verbum aeque persicum ac semiticum legitur Midr. Qohelet 8, 1. (Aruk זחל ult.): זָחֲלִין אַפּוֹי דְבַר־פָּדָא, comp. Indr. I, 6. ज्वलितास्य, flagranti facie. Eandem radicem prae se ferunt vv. קָלָה (קְלָא, قلى, aeth. qalava), unde קָלִי, קְלִי, tostum; קַלְיָא, serpens, tanquam flammans, sanscr. g'walana; deinde גָּחַל, unde גַּחֶלֶת, pruna, carbo ardens, gemar. גּוּמַר, גְּמָר (אִתְגַּמַּר, suffumigari, cogn., צַ־מַר, כְּ־מַר, חֲ־מַר, قمر), דִּנוּר, רְשַׁף, מְלַל (Sabat 109, b. Aboda zara 28, b.), quae glossa neohebraica explicat: גֶּחָלִים לוֹחֲשׁוֹת, a v. לָ־חַשׁ (flimmmern), rad. काश्. Indidem v. שָׁ־גַל (c. praep. सम्, concalescere, corpora in Venerem solvere, concumbere, et v. בָּשַׁל, vi et coquendi et maturescendi h. e. a sole mitescendi et quasi percandescendi, translatione eadem, qua vv. הִזְרִיחַ (Shebi'it IV.), בָּ־חַר (neoh. בָּגַר), יִבָּ־חַל (quod ejusdem est originis, הַתְּאֵנִים מִשֶּׁיִּבַּחִילוּ Ma'aserot I.), גְּמַר, شبّ et quodammodo كهل (maturitate flavescere s. albescere) dicuntur. Utrum cognata sint vv. קַל (קָלַל), חָ־קַל, صقل (ٱلصَّيَاقِل,

poliones, gladiarii, Hamasa p. 336.) necne, videant alii; certe vim splendefaciendi ad laevandum transferri, e v. הָ־לַק, rad. लोक् perspicitur. Neque invenio aliam radicem sanscritam, cui vv. צָל־הָ (צְלִי, صلا), assare (quocum 2 Chr. 35, 13. v. בָּשַׁל contra usum vulgarem commutatur); صلع (Qamus: صلاع الشمس, splendicatio fervens solis, etc.), denique צָהַל (si modo primum vi corusco splendore tremulove fulgore emicandi, deinde ingenti fragore proclamandi, ejulandi et hinniendi dicitur) subjicere audeam, aut cui vv. דָ־גַל (unde דֶּגֶל, die weithin glänzende Fahne), et, nisi גָּל־ה (גָּלַ־ה), tamen جلى (nitere, nitidare, Hamasa l. l., talm. גִּילְהִי דְלֵילְיָא, noctis stellatae splendor sublustris, Ta'anit 3, b.) merito comparari posse arbitrer.

दह् (urere), *δαί-ειν*, litt. deg-ti, unde sanscr. dâha, incendium, vi-dâh-in, et fort. etiam (certe e radice simili ejusdemque potestatis): diwan, dies. Ad hanc radicem referendum est v. comp. פָּ־רַח (mutato ह् in ח, sicut in conjug. sanscrita ante surdas consonas transit in क्, ante sonoras plerumque in ग्), splendere, unde פַּדַּחַת, frons, sicut מֵצַח, laevis illa, candida, come serenata necdum senectute corrugata. Perbelle Isaaki (ad Qohelet XII, 2.): זו פרחת שהיא מאירה ומצהבת באדם בחור וכשמזקנת היא מעלת קמטין ואין מצהבת: *Fuerstius* etiam v. קָ־דַח huic radici subjecit (quod ego ex v. קָד־הָ, sicut גָּלַח ex גָּלָה, induruisse dixi), unde קַדַּחַת, febris ardens, talm. צְמַר, צְמִירָא (אֶשְׁתָּא צְמִירְתָּא),

ardor, *πυρετός*. Fortasse huc potius, quam ad rad. द्वीप्, referre debebis v. דָּוָה, דְּוָא, moerere; nam v. sanscritum dah aeque ac dîp saepissime de dolore, aerumna, sollicitudine animum perurente dicitur, at propius adjacent radices दू*, दव् (dolere, queri).[1]).

धृष्* (splendidum, pulchrum esse), radix inusitata, uti et ejus similia धित्त्*, दृश् et दस्, quae compluribus semiticarum linguarum exemplis comprobatur, velut דְּשָׁא (aram. דְּתָא, דְּאַת), enitere, deinde propullulare, herbascere; חָ־דַשׁ (חֲדַת), novum esse (syn.. simili metaphora, טָרִי, טָלֶה, לַחַ), a germinando (v. Jes. 43, 19.); קָ־דַשׁ, sanctum, h. e. splendidum, purum, intaminatum esse; fort. עָ־דַשׁ (unde עֲדָשִׁים, lentes), quae verba cum propaginibus suis eadem de radice prognata esse non minus est probabile, quam mirabile videri possit.

पट्* (lucere, fulgere), radix inusitata, cui par atque aequale censeo aramaicum בַּט (בָּטֵט Job. 37, 21 = בָּהִיר), redupl. בְּטַבֵּט (tumefacere cum ardore), unde ܦܘܬܡܐ, בּוֹטִיט, scintilla, v. Aruk בטט I.

[1]) Quemadmodum דּוֹד, amicitia, amicus, ortum est, ex conjectura Fuerstii ingeniosissima, a v. דָּאדָא, rad. d a, d a-m (sanscr. dâm-an, vinculum, taenia, lat. re-dim-ire), vi vinciendi: sic n. דּוּד s. דּוּדַי, olla, ortum mihi videtur ex reduplicata radice d a h, *δαί-ειν* (दंदहि* ab ipsis grammaticis proponitur), fere sicut taeda Latinorum (= daeda, *δαϊδ*), de olla s. lebete utpote aduri solitis, targ. דָּדוֹ, דּוּדוֹ.

भ्रज्_ *, विह्रु *, quibus radd. comparandum duco v. בָּהַק (בֹּהַק), cujus vim lingua et aramaica (בְּהִיק, בָּקִי = בְּהָקִי, illustris) et neohebraica (הִבְהִיק de luce coelorum, de gloria beatitudinis aeternae, de claritate nominis etc.) nobis conservavit.

घृण्_ *, stirps epenthesi, ut videtur, oriunda ex formis simplicioribus घण्_ *, कन्_ *, quacum compono v. קָרַן (unde neohebr. nmm. abstractiva קִירוּן, קְרִינָה, קְרִינוּת, radiatio), quod si secundarium sit et e nomine demum conformatum, subest elementum simplicius, unde etiam vv. sanscrita, quae produxi, coorta videntur, v. rad. घृ.

उष्_ (urerere, c. praep. pari: corrumpere). Eodem jure, quo Pottius I. p. 269. latina: fus-vo, fus-co, bus-to (quasi praepositionis ab'i compendio augmentata) cum hac radice composuit, conferri possunt vv. יָ־בֵשׁ (fervore solis exarescere), עָ־בֵשׁ (aestu vanescere); يبس, عبس, quae jam *Ibn-'Ganah* ad Joël 1, 17. adhibuit); כָּ־בֵשׁ, قبس, unde כִּבְשָׁן, fornax, a calefaciendo; gemar. אֲבַשׁ, unde אַבְשׁוּנָא, frumentum in fornace torrefactum, etc. Sed, ut verum fatear, donec prima horum verborum radicalis melius sit explicata, ea ad rad. भास्_ referri malim; in quam radicem si nimia verborum copia cumulari tibi videatur, reputes, linguam sonorum vicissitudines non progenuisse, quin simul usus potestatum varietates iis indiderit, et, uti mutationes dynamicas naturaliter, sic mere phoneticas saepenumero accidentaliter significationis conversiones involvere. At certo cognatum est

n. אֵשׁ, *πῦρ αἴϑ-ων*, lat. us—, aes-tus, aes-tas, germ. eit, etc. et vv. אֵת (אַתּוּן), אֲזָא (heizen), quo tendunt etiam radd. sanscritae: अष् * et अस् *, quae vim lucendi habere dicuntur. Composita huius radicis sunt: प्युष् (= pi + ush), प्रष् (= pra + ush) et प्रुष् (= *πϱ-ήϑ-ειν*), quae a lexicographis Indorum perperam inter radices, si hoc nomen absolute intelligas, recensentur. Fortasse stirps verbalis विष्, plane sicut דָּבַשׁ (unde דְּבַשׁ, mel flavescens, „in teneris aurea mella favis"), tripliciter compositum est (= ut + vi + ush), at consistendum est nobis intra gyrum veritatis historice comprobatae, ne, ad velum de linguae mysteriis tollendum illecti, in labyrinthum rapiamur. Remanent circiter viginti radices, quae dicuntur, sanscritae, significationem lucendi ex grammaticorum sententia habentes et partim inter sese, partim cum radicibus, quarum veritatem jam evicimus, ita congruae, ut ad multo minorem numerum, instituta analysi comparativa, recidant. Has, in exemplis proferendis nimis jam progressus, intactas relinquere coactus sum; nonnullas tamen, occasione oblata, deinceps interpretabor.

Sequitur nunc, ut, his exemplis praemissis, doctrinam de radicum verbalium propagatione atque amplificatione, quantum in his spatii angustiis fieri possit, quam apertissime planissimeque explicem. Scito igitur, verborum biliterorum ea, quae in principio exituve literam vocalem habent, qua consonae unius pronunciatio vel incipiatur vel concludatur (אב, אור, איל = *ἴλλ-ειν*; בא, דה = *δέ-ειν*, unde דַּי, מה = *ὀ-μίχ-ειν*, unde מַי, مَا, aqua)[1]) et ea, quorum binae consonae vel brevi et acuta vel longa et producta vocali comprehenduntur (vv. ע״ע et ע״ו a grammaticis falsata), sive haec vocalis litera vocali exprimatur, id quod in vv. cavis duntaxat nonnunquam usuvenit, sive signis receptis subscribatur (מַךְ, מָךְ, מָאךְ; מַל, מָל, מָהל; מָט, מָעד), haec, inquam, bilitera primos esse radicis quasi progerminantis surculos. Eodem modo in radd. sanscritis vicissim ponuntur अ et आ *(Vridd'i)*, इ et ई (ए, *Vridd'i)*, उ et ऊ (व, *Guna)*, ऋ et ॠ. Pertinent huc etiam vv. triliterorum ea, quorum vel prima vel tertia litera vocalis est, non prosthesi aut paragogâ addita, sed, id quod historice evincendum est, verbi originarie propria, velut אָרַךְ (אֲרוּכָה), convenire, decere, *ἀρκ-εῖν*, sanscr. अर्ह् (अर्ह, adject., conveniens, dignus, talm. אֲרִיךְ Suka 44, b.); בָּנָה, gnoscere, novisse *(Pi.* facere, ut quid agnoscatur, notare, cognomentare), sanscr. ज्ञा, unde, ut certe plerique ajunt, नाम (pro ज्ञाम), nominatim, aram.

[1]) V. Concordd. s. v. נין; cf. mea Historia Poësis Judaicae p. 152, n. 1.

כְּנֵמָא (Ezra 4, 8. 5, 4, 11.), quo in adverbio נֵמָא neutiquam more talmudico pro נאמַר dictum esse multa cum sagacitate demonstravit *Fuerstius*.

Secundum gradum radicis formatione ingrandescentis obtinent vv. biliterorum ea, quae ex vv. una consona et vocali finali constantibus prolongata atque novata sunt, veluti זַן (שַׁן), acuere, sanscr. शान्, prolong. ex rad. शो, כָּא (כְּאוֹן); פָּם (unde פְּם, فم, φήμη, fama), prolong. ex פָּה (unde פֶּה, فو, في, فا), sanscr. वा, flare, spirare, plane sicut गम् (ire) ex गा; בַּר (בֹּר, בְּרִית), pur-um esse, prolong. ex पू, purificare, (quod usu suo cum v. hebraico valde congruit). Eadem prolongatio vv. trilitera partim gignit partim producit. Creberrime ex vv. biconsonis fiunt trilitera, additis in fine literis vocalibus (ל״א, ל״ה, ל״ע, aram. et arab. ל״י, ל״ו), velut כָּל־א, sanscr. कुल् *, κωλ-ύειν; נָק־ה, sanscr. निज् * (purgare, mundare); גָּל־ע, κέλ-λειν, cellere, etc., quid quod etiam vv. uniconsona hac ratione producuntur, e. c. כָּאֳה (כָּאָה), sanscr. दा, दो (prt. dâ-ta, abscissus); מָעָה (מָאָ־ה), sanscr. मा, metiri; שָׁה־ה, דָּוָא, תְּעִי, לְאִי, et sic porro, uti jam supra observavimus. Rarior est in triliteris prolongatio per nasalium ם, ן additionem, rarissima paragoga literae ר, veluti פִּגֵּר, pigr-um esse, auctum ex v. simpl. פַּג; فسر (*Etpa.*), figur-are, a verbo simplici fi-n-gendi — nisi forte liquida ר, quemadmodum in aliquot radd. sanscritis (miçr, mûtr, sûtr, al.), ad verba plane non traducitur, praeterquam interventu nominum factorum ad similit. f. נֶשֶׁ־ר (a v. נָשׁ, volare), פֶּד־ר (a v. פַּד, πατ-εῖσθαι, unde arab., addita nasali, بدن, pinguefieri, فدن, saginare), פֶּח־ר, fig-ulus (a v. פָּח,

unde gem. פִּיָּח, pic-tor, sanscr. पित्)[1]. De liquidarum in vv. triliteris epenthesi, negari non potest, usurpari interdum liquidam mediis verbi radicalibus interjectam ad trilitera ex biliteris novanda, veluti חֵנַג = חַג (Hierosol. I. Ex. XV. XXXII), דָּרַשׁ = דָּשׁ, אָלַץ = אָץ, cf. sanscr. वट्* et वण्ट्*, lat. dif-find-ere, di-vid-ere; नद् et नर्द् (utrumque vi sonandi, de cantu avium, de musica etc., hebr. נַר, נִיר Job. 16, 15.); जप् et जल्प्, loqui: sed multo pluribus in verbis illud *Nun* ad verbi naturam pertinet, quoad hanc novimus, e. c. גְּנַז (pers. et semit. = כָּנַס, sanscr. gang'a, gazophylacium), חָנַט, con-dire (spec. mortuos, einbalsamiren), in plerisque prima est verbi radicalis, cui praepositio praefixa est, v. c. גָּ־נַב, גְּ־נַף, חָ־נַף, טָ־נַף, כָּ־נַף, צָ־נַף, rad. nub-ere, pers. نهفتن; עָ־נַק, אֶ־נַק (עונק), אונק, der Nacken), rad. nic-ere, nic-tare; בָּ־נַט, פְּ־נַר, עָ־נַר, a rad. नह् (up-â-nat, ὑπόδημα, calceus, instrum. dual. up-â-*nad*-b'yâm), gr. νήθ-ειν, neutiquam, uti compositorum series docet, consentaneum cum बन्ध्*, quod epenthesi accrevit ex बध्* (בַּר, אָ־פַר, כָּ־פַת, צָ־בַת, צָ־פַת, צָ־פַר), ligare (binden).

Tertio in gradu stirpium formatione augescentium locanda sunt vv. plurilitera (quadrilitera, quinquelitera, et, si arabicae linguae rationem habeas, ambitu etiam majora), derivatione illa, non flexione orta, conjugationes proinde omnes, quas verbum simplex habet, percurrentia et e vv. simplicibus in-

[1]) De usu aliarum literarum (*s*, *ś*, *ć*, *ǵ*, *t*, *d*) epenthetico, utpote nondum satis comprobato, sileo, in iis acquiescens, quae, exemplis prolatis ut maxime labefactatis, fixa tamen sunt atque rata. V. *Pott* in Etymologicis Investigationibus Tom. I. p. 166—174.

cremento quadruplici, epenthesi, prosthesi, reduplicatione aut paragoge adaucta. ***Primum*** enim plurilitera formantur interjectâ litera ad vim verbi quantitative intendendam, cui interpositioni inserviunt literae nasales et semisoni liquidi, veluti גִּנְדֵּר, volvere (simpl. גָּ־דַר ;חָ־דַר ,כָּ־דַר ,כָּ־תַר); בַּלְסֵם, condire (simpl. בָּ־סַם ,סַם ,شَمَّ); ܚܡܣܢ, perseverare (simpl. ܚܣܢ, targ. אִתְחַסַּן); saepissime vero ***Rês:*** כִּרְסֵם (קַרְסֵם, simpl. כָּ־סַם ,קְ־סַם ;גָּ־זַם), depasci, decerpere, arab. كرسم; כִּרְבֵּל (סַרְבֵּל, سربل, simpl. כָּ־בַל ,סְ־בַל ;גָּ־בַל ,חָ־בַל), amicire; ܥܪܓܠ (simpl. עֲ־גַל, sanscr. वि – ह्वल्, spec. de vertigine temulenti), circulare, volvere; exceptae sunt ***Vav, Jud*** aliaeque literae vocales (velut ***Ghain*** in arab. اِبْذَعَرَّ, a simpl. بذر, dispersum esse), quae non ad interjectionem extrinsecus faciendam, sed ad dissolutionem et quasi dispansionem internam adhibentur, velut ܓܘܪܪ = גּוֹרֵר, ruminare; ܣܘܒܪ, סוֹבֵר = סַבַּר, sustinere, sufferre (rad. भृ, f e r r-e), et sic arab. اِطْمَأَنَّ, prolong. ex اِطْمَنَّ (st. IX.), *ἡσυχάζειν*, تَزَحْوَلَ prolong. ex تَزَحَّلَ (st. V.), defessum esse, defatisci, ingravescente non modo forma, verum etiam significatione. ***Secundo*** plurilitera formantur p r a e f i x i s literis, sibilantibus potissimum earumque homogeneis, velut שַׁלְהֵב, זִלְעֵף (זִלְעָפָה), צַלְהֵב, inflammare (simpl. לָהַב, לָעַף), סַרְהֵב (ܣܪܗܒ), abripere, festinare (simpl. רָהַב), תִּרְגֵּל (ܬܪܓܠ), manuducere (g ä n g e l n, simpl. רָגַל), quibus a formis e vv. simplicibus derivatis bene discerni oportet d e n o m i n a t i v a s: שַׁמְוֵדַע (מוֹדַע, no-

titia, notus, familiaris), ܬܠܡܝܕ et تَلْمَذَ (talmid, discipulus); ܡܣܟܢܐ, מִסְכֵּן, تَمَسْكَنَ (maskîn, pauper). *Tertia* via ad plurilitera formanda est reduplicatio; in lingua tum hebraica tum aramaica pervulgaris, in arabica utpote recentiori ac limatiori rarior, cujus quidem varia sunt genera, quae sigillatim recensebo: *a*) reduplicantur binae extremae radicales triliterorum, velut חֲוַרְוַר (rad. חָ־וַר, sanscr. वृ*, unde forma secundaria वर्ण् cl. X., colorare), יְרַקְרַק (rad. יָ־רֵק, sanscr. eadem compositione वृह् = वि + रुह्, increscere, virescere), שְׁחַרְחַר (rad. שָׁ־חַר, sanscr. श्रा*, cre-m-are), quae tria verba colores albedinis, viriditatis ac nigroris denotant, non illas aequabiliter rei cujuspiam proprias, sed mixte, disperse diffuseque in ea exstantes; eadem ratione, mediantibus vv., exstiterunt nmm. חֲבַרְבֻּרָה (simpl. חָ־בַר, נָ־מֵר, variegare, striare, a vi innata incidendi, pers. بريدن); חֲפַר־פֵּרֹת (Jes. 2, 10., mus vel talpa, utpote sub terra fodicans cubile, *Abulwalid*); פְּקַח־קוֹחַ (Jes. 61, 1., apertio vel carceris vel, uti ex Luc. 4, 18. consequi videtur, oculorum, neohebr. פִּקְחוּת), quorum nmm., uti et verbi אֶהֱבוּ הֵבוּ (Hos. 4, 18.) disjuncta scriptio, si qua causa non modo diplomatica nititur, e majori, uti infra apparebit, compositorum studio manavit. Notandum est, in his reduplicatis ultimam syllabae penultimae non raro hebetari et in vocalem emolliri, velut חֲטוֹטַר, gibberosum esse (= חֲטַרְטַר), חֲצוֹצַר, clangore acuto stridere (= חֲצַרְצַר, simpl. חָ־צֵר, cogn. נָ־צֵר, schrillen, schmettern, de sono ac colore); اِخْلَوْلَقَ,

perpolitum, laevem esse (= اخلفلف), أَخْدَودَق, undique cingere, quibus in formis arabicae linguae haud vulgaribus syllabae geminatae prioris asperitas propter concentum cum insequenti futurum per diphthongum mitigata est. *b)* Iteratur solummodo extrema radicalis triliterorum, e. c. אֻמְלַל, flaccescere (rad. אָ־מֵל, קָ־מַל, sanscr. म्लै, prt. म्लान = אָמֻל, caducus, marcidus), חַכְלֵל, candere, cal-escere (gluthfarbig sein, targ. סְמוֹק, rad. חָ־כַל, praefixa syllaba reduplicativa ad s. f. चकास्, cogn. בָּ־חַל, גָּ־חַל, خجل, כָּ־חַל primar., unde כּוֹחַל, non denomin., etc. (sanscr. स्वल्); שַׂרְגֵג, irretire, seducere (rad. שְׂ־רַג, סְ־רַג, cogn. אָ־רַג, שָׂ־רַג etc., ἀ-ράχ-νη, aranea stamen de pectore ducens), جَلْبَبَ (rad. جَ-لَبَ). *c)* repetuntur binae radicales biliterorum, ita ut oriantur vv. quadrilitera, quinqueliterorum (מְחֻמָּשִׁים) primae classis consimilia, ab Arabibus مُضَاعَفٌ s. مُطَابَقٌ (syllabis geminatis consentientia), a Judaeis כְּפֻלִים s. מְרֻבָּעִים nuncupata, e. c. כִּלְכֵּל, metiri, capere (rad. כָּל, sanscr. कल्), מַרְמַר, amaritudine afficere, exacerbare (ad s. f. μαρ-μαίρ-ειν, de corusco tremuloque fulgore, aram. g'mar, c'mar), קַשְׁקֵשׁ, tin-tinare (rad. קַשׁ, sanscr. कास्*, ingratum sonum edere), בַּלְבֵּל, permiscere, perturbare, unde *Bâ-bel* = *Bal-bel*, sanscr. बुल्, miscere, conjungere), arab. بَلْبَلَ (بلّ), طَأْطَأَ (طَأَّ = سَأَّ, sicut טְאטֵא = סַאסֵא), rursus nonnunquam elisa altera, ita ut instar augmenti prima tantummodo radicalis cum vocali sua praefigatur, e. c. עֹעֵר = עַרְעֵר, ἐ-γείρ-ειν (Jes. 15, 5.), et, correpta vocali, גִּ־חַךְ (*gă-chak*), κα-

γχάζειν, *καχάζειν* (rad. חָךְ, sanscr. कख्*, redupl. ककख्*, खकख्*), saepissime in nominibus, veluti כּוֹכָב = כַּבְכַּב, לוּלָב = לָבְלָב, quorum largam copiam enumeratam invenies in *Fuerstii* Systemate Ling. Aram. §. 160. *d)* Iteratur solummodo vel secunda radicalis in principio verbi (עִלַּע = לִעְלַע, rad. לָע, sanscr. लिह्, lingere, devorare), vel in fine (חָשַׁשׁ = חַשְׁחֵשׁ, rad. חָשׁ, persentire, solicitum esse, sanscr. जुष्, caus. solicite, diligenter peragere), vel prima in exitu (כָּרַךְ = כִּרְכֵּר, rad. כַּר, sanscr. सृ, curr-ere, c. praep. सं, sicut סָ־גַר, circumvolvere, cingere, *Man.* XII. 124.), quae tria vv. triliterorum genera nisi reduplicatorum compendia esse intelligas, explicari non poterunt. Accedit genus vv. biliterorum, quae contra linguae consuetudinem eadem consona bis posita constant atque ea ipsa de causa, quia lingua hanc earundem consonarum copulationem aversatur, e quadriliteris reduplicatione ortis decurtata censenda sunt, uti itentidem multa cum sagacitate in Concordantiis demonstravit Fuerstius. Exempla sunt vv. גָּג (= גָּאגָא, tegere, *στέγειν*, sanscr. गुह्, unde nomen tecti); טָט (= טְאטֵא, everrere, gem. טְאֵט, unde טִיט, *σκύβαλον*, coenum, gem. טְאטִי, neoh. טְאוּת); דָּד (= דֵּאדֵא, potare, lactare, sanscr. धे, goth daddjan, unde nomen mammae s. uberum muliebrium, gr. *τί-τϑη*); לָל (= לַוְלַו, לוּלוּ, cogn. לָוָה, unde לוּל, cochlis; לָלִי, ligula); סוּס (= סוּסוּ, currere, *ϑύειν*, *ϑέειν*, sanscr. धू, धाव्, unde nomen equi h. e. cursoris, avis cujusquam utpote migrantis, tineae utpote subsilientis)[1]), et, ut ali-

[1]) V. Concordd. s. vv. דָּדָה, זָו, זוּז s. זָז (pro formae reduplicatae significatu triplex), יָדַד (ubi regulam expositam

quot exempla sanscrita depromam: दद्* (= ददा, da-re); लुल् (= लीली, liquescere, dissolvi); शश्* (sicut סָם, salire, cito, subsultim se movere), सस् (= शीशी, cubare, dormire), exceptis tamen verbis iis, in quibus aequalitas binarum literarum ex assimilatione diversorum sonorum posterius orta est, veluti kakh sanscr., cachinnari = חַךְ (targ. et talm.); חָה hebr. (unde חוֹחַ, spina) = חָגָה, חָקָה, incidere. *e)* In verbis III. classis vel priores duae radicales iterantur, velut יְפֵיפָה (*Pu.*, יְפֵיפָה *Pi.*), splendidissimum s. pulcherrimum esse, vel litera vocalis ה, mutato priori in *Vav*, ut videtur, originarium, duplicatur, velut נַאֲוָה (נָאָה, *ναί-ειν*), שַׁחֲוָה (שָׁחָה = שָׁחַו). *Quarta* via ad plurilitera formanda est paragoga, et firmarum quidem emphaticarumque literarum, veluti ז, ר, ש, ט, ך et aliarum, quae etiam ad nmm. terminanda in linguis sanscritosemiticis adhibentur. Exempla sunt vv. פַּרְשֵׁז (Job. 26, 9., minime ex פָּרַשׂ זִיו, uti nonnulli, teste Simsone Naqdan, finxerunt, compositum), expandere; פַּרְשֵׁר, excernere (unde Jud. 3, 22. פַּרְשְׁדֹן, excrementa, quod paraphrastes, quasi comp., שְׁדָא פִּרְשָׁא vertit), רֻטֲפַשׁ (Job. 33, 25., simpl. רָטַב), succulentum, viridem esse, s. fieri; طرفش (talm. טַרְפַּשׁ, pinguedo, membrana adiposa), crassum, obesum, opimum esse; اِشْمَعَطَّ,

reperies), נון (= נונו), מאם (= מָאמָא), צָץ, דָר (דִיר).
Nomen סוס *Fuerstius* vertit: equus susianus utpote ex Suside Persiae importari solitus, quemadmodum פָּרָשׁ, فَرَس, equus persicus; ego ab hac etymologia propter vocabuli usum atque antiquitatem recedere ausus sum.

longe lateque se diffundere (simpl. شَمِعَ); أبْلَنْدَجَ (forma simul epenthetica et paragogica), magna longitudine ac latitudine esse; usurpantur etiam literae למנר, veluti أسْبَطَرَّ, se extendere (talm. שַׁרְבֵּט, extendere, v. c. labia, Ketubot 61, b.); شَمْعَلَ (= asbatharra), ܪܫܡ, caput s. dominum esse etc., et literae vocales, veluti ܨܘܡܐ, domesticum assumere. Haec de tribus stirpium verbalium formatione ortarum gradibus dicenda putavi, quarum incrementa, quantumvis individua et in semet ipsis significatione carentia, multum tamen abest, ut sine significationis innatae distinctione ad verba simplicia eorumque radices accedant, ut potius subtilissimis momentis gravissimas verborum inclinationes gignant, quae, linguis semiticis penitius indagatis et cum indogermanicis accuratius collatis, ut in veritatis lucem proferantur, futurum aliquando confidentissime speramus.

Altera via, qua ex radicibus verbalibus stirpes oriuntur atque augescunt, est *compositio*. Coagmentantur cum verbis simplicibus praefixa[1]), quibus potestas verbi nativa lenius graviusque variatur. Haec concretio tam arcta est, ut nonnisi ope analysis comparativae membratim divelli possit, estque illa significationis innatae distinctio adeo subtilis, ut modo nimium digressa, modo plane nulla videatur. Notum est, linguam sanscritam undevi-

[1]) In Concordantiis ejusmodi praefixa nominantur טעמיי (opp. התוכן), מקצב מושג (opp. תמצות השרש), שבח (opp. קרן השרש).

ginti praepositiones habere, quae, in literis finalibus vulgares euphoniae leges secutae, verbis praefigi solent et in hac compositione partim significationem plane novam gignunt, partim ad vim verbi germanam augendam tantummodo perpaululum afferunt momenti. His praepositionibus, quae maximam partem separatim non usurpantur, quarumque vel duae atque adeo tres radici praefigi possunt, nonnisi quodammodo respondent praefixa praepositionalia verborum semiticorum. Haec enim differunt primum eo, quod multo breviora sunt, et, ut videtur, prima praepositionum illarum pleniorum semina ostendunt. Siquidem praepositionum sanscriticarum aliae, licet radicum simillimae, phonetice tamen adauctae sunt (velut *a-ti*, *a-pi*, *a-b'i*, *a-pa*), aliae pronomina assumserunt (velut *ἀν-τί*), vel binis e praepositionibus primitivis in unam secundariam coaluerunt (velut *pa-râ*, *pa-ri*, *pra-ti*). Deinde praefixa illa semitica multo arctius cum verbis concreverunt, quam in linguis sanscriticis, in quibus, uti jam ***Vêda*** et ***Zendavesta*** ostendunt, praepositio verbalis a verbo, interjectis aliis vocabulis, vel disjungi potest. At etiam lingua sanscrita obsoletorum illorum praefixorum, quae sola una litera constant et cum verbo ad unum quasi corpus compacta sunt, reliquias multis in verbis exhibet, quae, quantumvis composita, a grammaticis inter radices relata sunt, usuque etiam cum vv. simplicibus aequantur. Nonnulla horum verborum antiquitus compositorum et radicibus et praefixis cum hebraicis concinunt, quorum certe aliquot exempla liceat apposuisse:

स्फुट्	סְ־פַר (סִרְפָּר)	σφαδ-άζειν (diffindi, dilacerari)
स्तृ	סְ־תַר [1]	στορ-εννύναι (ster-n-ere)
व्रज्	בְּ־רַח	ἀπ-έρχ-εσθαι
भ्राज् *	בְּ־רַק	goth. *bairhtjan* (lucere)
स्कम्भ् *	זְ־קַף	σκήπ-τειν (firmare)
कृष्	חָ־רַץ	incidere
वृह्	עָרָה (עָרוֹת)	*virere*

Lingua persica, ad quam penitus pernoscendam non minus sanscritae, quam arabicae linguae cognitio opus est, magnam, uti demonstravit *Boppius*,

[1]) h. e. dissolvendo expandere, hinc विस्तृत (prt. cum praep. *vi*), de herbis humi diffuse luxuriantibus; סתר למזיא, neoh. סתר שער (plexus s. plicas capillorum dissolvere); סתר דוללי, manipulos crudi lini frangere h. e. dissolvere et stupam excutere, unde n. מסתוריתא (die Flachs- und Hanfbreche), neoh. סתר, vi refellendi s. adversandi, translatione perquam significanti. *Pa.*, humi sternere, destruere, Ezra 5, 12. et crebro in sermone paraphrastarum.

continet verborum copiam, quae, cum contra sanscritismi naturam e radicibus polysyllabis ortae videantur, praepositiones occultas, in ipsa lingua dudum mortuas et in verbo quasi sepultas continent, e. c. *nihâ-den* (deponere), sanscr. ni-dʿâ-tum, hebr. נָ־טַע (plantam defigere, deponere, inserere); *efrûk-ten* (adurere), sanscr. *abʿi + rucʹ*, hebr. בָּ־רַק (*beleuchten, anblitzen*); *firistâ-den* (ablegare), sanscr. *pra-stʿâ* (causat.), hebr. synonym. שָׁ־לַח, etc. Etiam verborum classicorum permulta cum priscis illis praepositionum notis ita coaluerunt, ut sine violentia illa, quam doctrina exigit, dirimi non possint; comparatio vero linguae sanscritae et semitismi dilucide demonstrat, quibus ex elementis concreverint, et qualem quantamque vim in eorum notiones variandas exercuerint illa praefixa, quae non sine gravi errore mere phoneticis adnumeraveris. *Aug. Frid. Pottius* multa cum sagacitate nuper evicit[1]), complures vocales verba graeca inchoantes, quae hactenus tantummodo prosthesi phonetica accessisse perhibebantur, praefixa esse emphatica atque e praepositionibus miro linguarum consensu decurtata. Nos quatuor et viginti verba graeco-latina cum hebraicis ad literam consentientia componemus, e quibus intelligere aut suspicari saltem poteris, priscum illum mirabilemque verbi contextum eundem esse in linguis sanscriticis atque in semiticis, quarum illae compositionem istam vetustam aperte prae se ferunt, hae vero, praepositionum separabilium libereque accedentium usu majorem perfectionem adeptae, propemodum obliterarunt.

[1]) Etymologische Forschungen, II. p. 127—164.

(VERBA COMPOSITA GRAECO-LATINA OPE LINGUAE HEBRAICAE PATEFACTA.)

Α-ΓΕΙΡΕΙΝ	אָ־גַר	√ גַּר
Α-ΛΕΙΦΕΙΝ	אָ־לַף	√ लिप्
Α-ΜΑΛΟΥΝ	חָ־מַל	√ *mol* (mollis)
ΒΑ-ΣΙΛΕΥΕΙΝ	מָ־שַׁל	√ *sal*
Β-ΔΑΛΛΕΙΝ	בָּ־דַל (בְּדֹלַח)	√ דל, טַל *θαλ*
Γ-ΛΥΦΕΙΝ	חָ־לַף (גְּ־לַף)	√ लुप्
Δ-ΡΥΦΕΙΝ	טָ־רַף	√ *rap* (rapere)
Ε-ΡΕΙΠ-ΕΙΝ	חָ־רֵב	√ *ῥίπ-τειν*
Ε-ΡΗΜΟΥΝ	חָ־רַם	√ रम् (c. vi et upa)
Ε-ΡΧΕΣΘΑΙ	אָ־רַח	√ ऋछ् (ऋच्छ्)
F-RANGERE	פָּ־רַק (פָּ־רַךְ)	√ *ῥηγ* (*σπα-ραγ*)

ΚΑ-ΡΦΕΙΝ	חָ־רֵב	√ *rab*-ere (?)
ΚΟ-ΛΑΠΤΕΙΝ	כָּ־לַף (קְ־לַף)	√ *lap*
ΛΑ-ΓΧΑΝΕΙΝ	לָ־קַח	√ קַח
Ο-ΡΕΓΕΙΝ	עָ־רַג (עָ־רַךְ)	√ रिच्, *reg-*, *ric*-ere
Ο-ΡΥΓΕΙΝ	עָ־רַג	√ *rug*-ire
ΠΑ-ΤΑΣΣΕΙΝ	פָּ־טַשׁ	√ טַם (lamina)
ΣΤΑ-ΛΑΓΕΙΝ	דָ־לַג	√ לח, *λαιχ-ᾶν*
Σ-ΦΑΓΗΝΑΙ	זָ־בַח (טָ־בַח)	√ पच् [1]
Σ-ΦΙΓΓΕΙΝ	סָ־פַק	√ पश् * (com-*ping*-ere)
Τ-ΡΕΦΕΙΝ	טָ־רֵף	√ तृप् (comp.)
Τ-ΡΕΧΕΙΝ	דָ־רַךְ (טְ־רַק)	√ ऋछ् (ऋज् *)
ΧΑ-ΡΑΤΤΕΙΝ	חָ־רַת (חָ־רַשׁ)	√ रद्* *(rad, g-ratt)*
Χ-ΡΥΣ.....	חָ־רֵם (חָ־רֵץ)	√ रुच्

[1]) Notiones mactandi et apparandi mactata coincidunt.

Comparatione linguae hebraicae cum semet ipsa et cum sanscrita conficitur, omnes omnino alphabeti literas (in quibus homogeneae sine emphasi commutantur) praepositionaliter usurpari; deinde etiam in verbis compositis consonarum numerum indefinitum minimeque legi fictitiae trigrammatismi adstrictum esse. Verbum biconsonum נָר (ut de cavis exemplum deligam), quod dicitur vi et lucendi (נֵר, נִיר, מְנוֹרָה, תַּנּוּר) et arandi (נִיר, arvum; מָנוֹר, *ἀροτρόπους*) [2]), utraque significatione compositum est ex praep. *na* et rad. אר (= נ־אר, arab. نَارٌ), quacum vi *ar*-d-endi cognata sunt vv. אָר (מְאוּרָה, cutis discolor basilisci), נָ־הַר, יָ־אַר, vi *τοῦ ἀρ-οῦν* vv. חָר, כָּר, עָר, קָר. Et, quod etiam mirabilius est, hac via invenies, inter verba semitica non esse composita solum, sed etiam decomposita binis praepositionibus ordientia. Ingeniose conjecit *Pottius*, radicem तॄ ex अति + ऋ, भूष् * ex अभि + वस् coagmentatam esse, quod si verum sit, vv. hebraica יָ־תַר (وتر) et לָ־בֵשׁ (لبس) decomposita censenda sunt. De praefixorum semiticorum cum sanscriticis cognatione, praestat nunc silere, quam inconsulte conjicere. Ultro se offert praepositionum בָּ et *abʿi*, דָ et *adʿi*, נָ et *ni*, סָ (שָׁ,

[1]) Quamvis lingua nulli formae heterosemiam aut enantiosemiam a principio indiderit, negari tamen non potest, vicissitudine literarum ingruisse in linguam formas sono literisque consentientes, vi atque origine diversas, quae ad diversas vocabulorum familias referendae sunt et nonnisi ingenioli abusu conglutinari possunt.

שָׁ) et *sam* necessitudo [1]). At quia probe discernenda sunt praefixorum ea, quae tantummodo phonetice et quae emphatice discrepant, ea, quae propositiones primitivae sunt et quae aliunde oriunda praepositionum munus acceperunt, deinde quia comparatio illa sanscrito-semitica institui nequit, quin prius eorum praefixorum usum omni acie ingenii observitaris eorumque vim arcanam internâ comparatione aliquatenus certe perceperis: satius est exspectare, dum compositionis verborum sanscrito-semiticae investigatio majorem maturitatem assequatur. Adeo vero maturuit, ut mirandam verbi semitici structuram contra cavillatorum impetus vin-

[1]) Aeque certum est, praepositionem פָּ multis in vv. sanscrito वि congruum esse et remotionem, separationem et dissipationem actioni s. statui, quem verbum exprimit, inhaerescentem significare, v. c. פָּ־דַן, distendere, unde פַּדָּן (das weitausgedehnte Flachland); פָּ־חַז, פְּ־חַז, dissilire, redundare; פָּ־טַר, calycem disrumpere, de floribus; פָּ־טַשׁ malleo diducere (auseinander-, breit schlagen); פָּ־צַח dissecare, et vv. פָּ־רַץ, פָּ־רַק, פָּ־רַע, פָּ־רַם, פָּרַשׁ etc., quorum consimilis significatio non ex communi radice פר (uti asserit Gesenius s. v. פָּרַר), sed ex praepositionis praefixae aequalitate consequitur. Nihilominus concedi oportet, nonnullis in vv., velut פָּ־צַר (בָּ־צַר), פָּ־צַל (בָּ־צַל), פָּ־קַד (בָּ־קַשׁ), praepositionem פָּ nonnisi duriorem formam esse mollioris בָּ. Praepositionem קָ plerisque in vv. respondere latino *cum* (*con-*), velut קָ־בַר (zusammengraben, eingraben); קָ־צַב, concidere, קָ־לַם, collucere, collaudare etc., negari nequit; eam, quemadmodum *con* cum gr. σύν, ξύν, cohaerere cum sanscr. सम्, quis dubitaverit, qui leges vicissitudinis sonorum vel mediocriter calleat, at, num קָ, שָׁ, צָ, זָ differunt significatione, et, si differant, quibus momentis differant, quaestio est subdifficilis.

dicare possis. Hoc enim vero nunc sponte intelliges, verbum semiticum non esse monogrammon aenigmaticum tribus e lineis inseparabiliter complicatum, non machinam tripedem, quae si unam alteramve partem sustuleris, concidit. Neque est imago ahena, exanguis, vita carens linguaeque expers, quin aurorae lumina memnoniae instar consalutet, aut murmur inconditum, quod quî sonet, memoria reponere debeas, quomodo et quem ad finem conformatum sit, animo complecti non possis; sed „triplici diversa colore licia,“ cujus nodum trilicem a natura consertum arte dissolvere potes, vel potius corpus plurium pauciorumve membrorum compage coortum, in quo elementa nativa ab incrementis extrinsecus adscitis discernere animamque vitalem singulas partes permeantem sentire potes.

Paginis insequentibus doctrinam de verbi sanscrito-semitici compositione ternis singulorum praefixorum exemplis ita in medio ponere conatus sum, ut uno in conspectu totam contueri possis: quorum exemplorum si cui diffidas, crede potius me incommode delegisse, quam rem ipsam vacillare, quae non uno alterove exemplo, sed universae linguae contemplatione fulta est.

[SYLLABUS VERBORUM SEMITICORUM COMPOSITORUM RADICUMQUE EORUM SANSCRITO-SEMITICARUM.] [1]

אָ־בַר	वृ, वीर्*	*vir*-um, *vir*-ilem esse
אָ־רַךְ	रिच् c. praep. *ati*	*reg*-ere, por-*ric*-ere
אָ־שַׁר	सृ, चर्	de-*ser*-ere
בָּ־לַע	लिह् c. praep. *ava*	ἀπο-λιχ-μᾶν, lig-urire
בָּ־קַר	कॄ c. praep. *vi*	*κρίν-ειν*, *cern*-ere
בָּ־קַשׁ	काङ्क्ष् c. praep. *â*	*quaes*-ere, pers. خوستن (*er-kies-en*)
גָּ־בַל	वल्	circum-*vol*-vere
גָּ־זַר	शॄ, क्षुर्*	*sarr*-ire, sar-ser-
גָּ־לַף	लुप्	γ-λύφ-ειν

1) Radices eas, quae nondum scriptorum sanscritorum usu comprobatae sunt, ubique asteriscis notavi et, si vel derivatis sanscritis vel similibus semiticis firmari mihi viderentur, fidenter adhibui.

דָ־בַר	ब्रू	*Fείρ-ειν* (Bopp)
דָ־לַף	लिप्	*προς-α-λείφ-ε-σθαι*
דָ־לַג	लघ्	goth. *laik-an* (*lök-en*)
הָ־לַךְ (לָאךְ)	लाख्	ire, *leg*-are (causat.)
הָ־פַךְ فَلَكَ, بَاكَ	विज् (वह्)	*Fείγ-ειν*, (ἐπ-είγειν), plec-tere
הָ־רַג	रिच्	*hinstrecken*
וָ־כַח (כֹחַ)	शक्	*σωκ-εῖν*, *co*-nari (Bopp)
וָ־לַד	लद् (?)	goth. *liud*-an
وَضَعَ, وَدَعَ	धा	*τιθέ-ναι*, *θῆ-ναι*
וָ־מַן	मन् (मा)	*MHN*, *men*-s-is
וָ־קַף	स्कभ् *	*σ-κήπ-τειν*
וָ־בַן	वन् * (पन्)*	*ven*-d-ere (mercari)

הָ־בַק	पश् * (पाश)	πηγ-νύναι, *pang*-ere
הָ־דַק	तिज्	ϑήγ-ειν
הָ־לַך (לָט)	लड् (लुड्)	λαϑ-εῖν, *lat*-ere
יָ־צַב	स्तभ् (stamb‘a = מַצֵּבָה)	στέμβ-ειν
יָ־תַר	तॄ (ati + ṛi)	*tra*nsire
יָ־קַד (נָ־קַד)	कुड् *	*ca-n-d*-ere
טָ־בַח = طبخ	पच्	pers. پختن (*buk*‘-ten)
טָ־הַר	श्रा II. IX.	*cre-m*-are
טָ־מַן trans.	*MEN*-ειν intr.	*man*-ere, pers. ماندن
כָּ־בַשׁ (כָּ־בַס , כְּ־פַשׁ)	पद् (पद)	πατ-εῖν
כָּ־פַר	वृ	*co-o-per*-ire
כָּ־רַת (חָ־רַת)	कृत् (रद्)	χα-ράττ-ειν

לָ־בַשׁ	वस् (वासस्) c. praep. *ni*	*ves*-tire, pers. پوشیدن
לָ־כַר	चट, जड् etc.	cat-enare
לָ־שַׁר = لَسَدَ	स्वाद् (स्वाड्)	ἡδ-ὺν εἶναι (tr. sugere, gustare)
מָ־חַץ	छिद्	σχίζ-ειν, pers. شکستن
מָ־כַר	क्री c. praep. *vi*	pers. خریدن (mercari)
מָ־תַן = مَتُنَ	तन् c. pr. *vi* et *anu* + *san*	τείν-ειν, *ten*-, *ten*-d-ere
נָ־גַר	कथ् (kat'â = הַגָּדָה)	goth. *quith*-a, angl. *quoth*
נָ־טַר	त्रा, त्रै	τηρ-ειν, *tueri*
נָ־תַר (تَرَّ)	त्रस् (*tra-s*)	pers. ترسیدن τρε-, τρε-μ-, *terr*-ere
סָ־גַר	शद्* (शातय्)	*cad*-ere
סָ־לַף	लिप्	*lib*-are, *lab*-i
סָ־רַח	रिच्	ὀ-ρέγ-ειν

עָבַר	उपरि (पार*)	*περ-ᾶν*, (*περ-αί-νειν*)
עָבַשׁ = a-b'i-ush + gha	उष्	*f-us*-cum esse s. fieri
עָנַר	नह् (नध्)	*νήθ-ειν*, *nect*-ere
פָּזַר	शॄ (धॄ*, सॄ*) c. praep. *ava*	*ser*-ere (dissipare)
פָּלַד	लद्* (ह्लाद्)	*luc*-ere (*lud*-ere)
פָּרַח et فرخ	रुह् (ऋध्, वृध्) c. praep. *vi* et *pra*	pers. رستن (imper. روى) *c-re-s*-cere
צָחַק	काख्* (हस्)	*καγχ-άζειν*, *cach*-innari
צָמַח	मह्* (महत्)	*μέγα*, mag-num fieri
צָפַת (צָבַת)	बध्* (बन्ध्)	goth. *bind*-an, pers. بستن (imper. بند)
קָטַב	तुभ्* (तुब्*)	*δάπ-τειν*
קָמַל	म्लै	*μαρ-αίνεσθαι*
קָצַר	क्षुर्* (चर्)	*ξύρ-εσθαι*

ربط, רָ־בַר	बध् * (बन्ध्)	goth. *bind*-an
רָ־דַף (syn. דָ־לַק)	तप्	pers. تافتن
ר־פַס	पद्	*πατ-εῖν* (goth. *fot*-us, pes)
שָׂ־חַק	काख् * (कक्क् *)	cach-innari
שָׂ־כַר	क्री	pers. خريدن (conducere)
שָׂ־רַט	रद् *	*rad*-ere
שָׁ־בַל	वल् * (Pott I. p. 224.)	*vol*-v-ere, goth. *val*-v-jan
שָׁ־דַף	तप्	*ταφ* (τέφρα)
שָׁ־פַט	भिद् (बुद् *)	*find*-ere, trop. judicare
תָּ־וָה	अव् * (आप्)	*av*-ere (ad-*ip*-isci)
תָּ־כַן	गण्	supputare
תָּ־נַךְ	नख् * (नख)	*νύσσ-ειν* (ὄ-νυξ)

Hujus compositionis agnitione non solum multum discriminis inter semitismum et sanscritismum evanescit, sed perducimur etiam ad abditam atque penetralem linguae fabricam, contemplamur solertem illam subtilemque linguae priscae conformationem, spectamus stamina atque subtemina telae illius mente plane divina contextae multiplicique colore variatae, cujus fila tam tenuia, tam tractabilia, tam artificiose torta sunt, ut lingua ipsa eorum dignoscendorum facultatem paullatim amitteret. Sed quamvis clara certaque istius compositionis verbalis scientia tanto plus obscuraretur, quanto longius lingua ab sua origine vetustaque specie aberraret: tamen quasi in imis linguae praecordiis inhaesit sensus quidam nativus atque argutus, qui indigenas accuratissime commonefaceret, ne verbo quopiam antiquitus composito significatione ulla uterentur, quae priscae illi concretioni repugnaret. Notum est, interpretes Alexandrinos in ejusmodi verbis graece vertendis composita graeca saepenumero ita deligere, ut, unde hebraica coalueriut, latenter sibi conscii fuisse videantur; neque negari potest, in talmudibus sensum ejus compositionis passim elucere acerrimum. At quotiescunque apud Judaeos sensus ille obscurus de naturali linguae contextu ad scientiam adspirat h. e. ad exegesin aut grammaticam traducitur, quasi limites suos transgressa, longius evagatur licentiusque errans, in falsas opiniones et superstitiones paene aniles rapitur: ad quam rem explicandam delectandi causa parumper a proposito degrediar.

Iam duobus in libris[1]) satis prolixe disserui de diversa linguae hebraicae contemplatione, quae a Ba-

[1]) *Zur Geschichte der jüdischen Poesie* §. 30. (Die neuhebräische Sprache in der babylonisch-spa-

byloniis ad Africanos, Iberos et Provinciales et a Palaestinensibus ad Italos, Gallos et Germanos transiit; quae contemplationum discrepantia e poesi potissimum sacra, quae פִּיּוּט (syriace: ܦܝܘܛܐ) nuncupatur, occurrit. Itali enim, qui se neque in formis neque in dictione ad antiquam linguae speciem et antiquum dicendi usum adstrictos esse arbitrabantur, in copia illa vocabulorum, quam a majoribus traditam acceperant, formanda atque adhibenda, ut linguae domini atque haeredes, liberrime versabantur, licentia illa infinita, quam in aramaicae linguae tractatione Gemara hierosolymitana prae se ferebat, in hebraica audacter utebantur, et, quia trigrammatismo non occaecati, in verbo elementa primitiva ab additamentis accidentalibus secernenda videbant, arbitratu suo modo verbum simplex modo compositum deligebant idque promiscue, nec ita, ut unius ab altero discrimen perspicerent usumque secundum hujus discriminis intelligentiam dirigerent. Praetereo hoc loco, eos in nominibus novandis eandem autonomiam sibi sumsisse; reticeo de ceteris causis, quibus eorum oratio granditatem Aeschyli, asperitatem Ennii, insolentiam Lucretii, libertatem denique Pindari adepta fuerit. Nae illi, quantumvis perspicuae et dilucidae cognitionis expertes, senserunt tamen radices verbales, nulli literarum numero adstrictas, maximam partem vel biliteras esse vel uniliteras; quo factum est, ut in Veteris Testamenti interpretatione saepenumero, abstracta radice verbi comparatisque ejus similibus, id quod verum est et nunc

nischen und palaestinisch-italischen Dichterschule); Wissenschaft, Kunst, Judenthum p. 257—263., cf. etiam *Prolegomena* mea ad *Mosis Vitae Luzzatti Migdal Oz* p. VIII.

linguae sanscritae collatione abunde confirmatur, in posterum quam longissime prospicerent. Quod ut exemplis nonnullis comprobem, subjiciam locos aliquot selectos et latine translatos ex commentario pentateuchico, *Sekel thob* inscripto et nondum excuso[1]), quem ao. 1130 quidam *Menahem bar-Salomo*, indigenitali linguae contemplationi deditus, composuit.

[1]) V. literas Israelis Michelson Vratislaviensis in: *Tokahat ha-Megila*, auctore *Mordekai Gumpel (Professor. Levisohn)*, Hamburgi 1784. 4. f. 7, a. b. Codex, ex quo excerpta illa, a nobis conversa, desumta sunt, quondam Oppenheimerianus, nunc Oxoniae putrescit. Neque est integer, sed tantummodo usque ad Parasam *Be-shalah* conservatus.

[SPECIMEN INTERPRETATIONIS GRAMMATICAE EX PRINCIPIIS PRISCIS ATQUE INDIGENITALIBUS.]

Gen. 17, 23. וַיָּמָל. Hoc verbum vim nativam habet conterendi; cognata sunt מַל (*Po.* Ps. 90, 6. de gramine mature ac celeriter marcescente), אֻמְלַל (Nah. 1, 4. de flore libanontico flaccescente, Jer. 15, 9. de muliere calamitatibus contrita ac debilitata). Nam in circumcisione praeputium conteritur decerptumque abjicitur. [Bene; nam etiam in linguis indogermanicis *mṛi* et *mlai*, *μαλ-άσσειν* et *μαρ-αίνειν* cohaerent, v. Pott I. p. 220. s.].

Gen. 24, 20. וַתְּעַר, vi nativa evacuandi, quemadmodum Ps. 141, 8. trop. de animae profusione. Radix est עַר [recte; nam, nonnisi aspiratione mollita, differunt vv. גַּר ; מָ־גַר, נָ־גַר, in quibus radix eadem, quae vim fluendi habet, non paragogica, sed praepositionaliter accrevit], unde et oriundum putaverim עַרְעָר Jer. 17, 6., myrica nuda ac solitaria. [Male; nam radix עָר, vi nudandi ac spoliandi, a radice עַר, vi manandi s. fluendi, bene discernenda est, sanscr. शॄ, gr. *κείρ-ειν*, hebr. גַּר, גָּר־ַע).

Gen. 29, 11. וַיִּשַּׁק. Ex mea sententia tantummodo שַׁק radix est hujus verbi, vi applicandi, deinde osculandi, unde et תְּשׁוּקָה, amor, utpote copulationis arctissimae corporum animarumque cupidus. [Cogn. est etiam חָ־שַׁק, de propensione s. inclinatione caritatis, et זַק neohebr. de concubitu maritali.].

Gen. 24, 65. הַצָּעִיף, aliquid super faciem stratum s. intentum, rad. צע, addito *Pe*, quod, sicuti *Mem*, paragogice addi solet. [Perperam; siquidem radix est צף, indita litera vocali *Ghain.*].

Gen. 32, 33. הַנָּשֶׁה. Hic nervus propterea sic appellatus est, quia robur Jacobi frangebatur ac debilitabatur (נָשַׁת). Retulerim huc etiam נָשְׁתָה Jer. 51, 30. de virium consumtione, נִשְּׁתוּ Jer. 19, 5. de aquis exarescentibus, h. e. ita debilitatis, ut fluere s. scaturire desinant, נָשָׁתָּה Jes. 41, 17. de lingua siti ardenti confecta s. enecta et faucibus haerente. Radix est igitur נש. [Recte; at tres istae formae, quas comparat, neque ad v. fictum נָשַׁת, neque ad v. נָשׁ־ָה, sed ad שַׁת (שָׁתַת) referenda sunt ac comparari proinde non debuerunt].

גִּיד, nervus, tendo, utpote vinculum ac firmamentum membrorum, quo continentur et implicatione toto corpore pertinenti copulantur, a rad. גר (catenare), quam etiam v. אָ־גַר participat.

Gen. 40, 23. תְּלָה, vi nativa erigendi, qua huic verbo par est n. תֵּל, collis, h. e., locus erectus s. editus.

Gen. 41, 45. צָפְנַת פַּעְנֵחַ. *Rabi Johanan* hoc nomen tanquam tripliciter compositum explicat: צְפוּנוֹת מוֹפִיעַ ונוחות לוֹ לְאָמְרָן h. e. is, qui mysteria illustrat eaque solvere callet. *Rabi Juda:* צְפוּנוֹת מוֹפִיעַ וְנוֹחַ רוּחַ הַבְּרִיּוֹת מֵהֶן h. e. is, qui mysteria illustrat, quae grata sunt hominibus. Nam radix verbi הוֹפִיעַ (יָפַע) est solum פע, et similiter radix verbi הֵנִיחַ est נח, unde duplex oriri poterat Johananis et Judae interpretatio, quorum uterque nomen *Pa'aneah* his e radicibus conflatum arbitratur [sanscr. भा, splendere; नम्, inclinare, = *na-m*, part. नत, *νεύ-ειν*, *nu*-ere, *nu-t*-are].

Gen. 43, 18. לְהִתְגּוֹלֵל, ad superinvolvendum, vi eadem, qua neohebr. גִּלְגֵּל, veluti גִּלְגּוּל שְׁבוּעוֹת, impositio juramentorum, nisi quod in lingua Legis divinae reduplicatur tantummodo extrema radicis litera, in lingua Rabinorum tota radix (הַיְסוֹד כֻּלּוֹ). [Rectissime; radix est enim גַּל, חַל, קַל, sanscr. चल्, *κέλλ-ειν*, *κυλ-ίειν*, cell-ere.]

Gen. 47, 13. וַתֵּלַהּ, vi animo deficiendi, cogn. מִתְלַהְלֵהַּ (Prov. 26, 28.), vecors, vesanus, ad s. f. אֲדַמְדָּם, אֲבַלְבַּל, a rad. לַהּ, quare vertendum est, ac si scriptum esset: וַתִּשְׁתַּגַּע (in furorem s. *μελαγχολίαν* incidit). Quodsi subesset v. תָּלָה (תְּלָאָה), dici debebat: וַתִּתְלֶה, ita ut *Tav* unum radicale, alterum servile esset, quemadmodum in וַתִּתֹּם. [Utique radix est לַהּ, sed vi lingendi s. languendi, sanscr. लिह्, non errandi et furendi, sicut שָׁלָה, ضَلَّ]

Ex. 7, 9. תְּנוּ לָכֶם מוֹפֵת, h. e., testimonium subitaneum, in quo non opus est exspectatione (פִּתְאֹם). Nisi potius, id quod mihi verisimilius videtur, מוֹפֵת cum verbo persuadendi (פָּתָה) cohaeret, nam prodigium animum hominis spectantis pellicit atque inducit ad causas ipsius indagandas. Proinde radix nominis est פת [*πείθ-ειν, πιθ-ανός*]. — Hic adducit Menahem Ps. 78. 47., ad quem versum ita Gemara:

„*Rab Huna* ex ore *Resh Lakishi:* Grando decidebat et infringebat omnes arbores. *Rabi Johanan,* ex hoc, inquit, quod Resh Lakish ait, duo comperis. Etenim in vocabulo חֲנָמַל insunt vv. חָנָה et מַל. Recubuit grando iste super frugibus terrae omnibusque arboribus, h. e. חָנָה, et contrivit ea, h. e. מַל Siquidem ex sententia illius חֲנָמַל grandinis est species, quae cum descendit, infringit ac conterit (בַּחֲנִיותו מוֹלֵל)."

Parasha *Bô:* בְּצֵקוֹ (Neh. 9, 21.). Priusquam farina fermentatur, massa est subacta quidem (בָּ־צֵק), sed nondum cocta, cf. Hos. 7, 4. Radix hujus verbi est solum צק, quocum conferri oportet צֶקֶת Job. 38, 38. ejusque similia. Ipsum v. בָּצֵק nonnisi bis legitur, l. l. et Deut. 8, 4., ubi dicitur de pedibus non nudis, sed calceatis, ut coeno, quod calcando subigunt, inquinari non possint. [Radix v. comp. בָּ־צֵק ex sententia Menahemi, sicut צֵק, unde מוּצָק, habet vim subigendi, coarctandi s. depsendi; *Fuerstius* in Concordd. multo verisimilius vim ascendendi s. tumescendi, uti verbo נָ־סַק, inesse censet].

Ex. 12, 36. וַיְנַצְּלוּ. Secundum linguam Rabinorum radix est צל, siquidem dicitur מְצוּלָה שֶׁאֵין־בָּהּ דָּגִים (Berakot 9, b.); מְצוּלָה autem et צוּלָה non differunt. [Mire; nam נִ־צַּל, συλ-ᾶν et צַל = צָהַל, fremere, strepere, certo non cohaerent.]

Ex. 14, 3. נְבֻכִים, h. e., confusi s. conturbati (מְטֹרָפִים), Joël 1, 18. de grege propter pascui, in quo congregetur, defectum disturbato, Est. 3, 15. de urbe perturbata, h. e. indistinctis exultantium et ejulantium clamoribus referta, targ. מְעַרְבַּל. Cognatum est v. אָ־בַךְ Jes. 9, 17. Radix est בך. [Recte, sanscr. पश्, hebr. etiam in vv. compp. סָ־בַךְ, שָׂ־בַךְ, aram. שְׁ־בַךְ.]

Ex 15, 24. וַיִּלֹּנוּ, vi murmurandi, a radice לן.

Ex his exemplis patebit, quam multa contemplatio illa linguae nativa ac domestica aut arte aut ratione aut usu aut conjectura praesenserit et quantum, ad praecepta disciplinae exacta, ad eruendam veritatem, quam quasi inclusam continebat, proficere potuerit. At cum, studiis Babyloniorum (inter quos jam *Saadia* s. *Said Gaon*, auctor lexici *Igaron*, m. 942., *Adonim ben-Tamim*, *Samuel ben-Chofni Gaon*, m. 1034., et *Haji Gaon*, m. 1038., in grammatica elaboraverunt) in Africam Iberiamque translatis, ars grammatica ad altiorem gradum ascenderet, idem ei inter Judaeos, quod inter Arabes[1]), accidit, ut a contemplatione prisca atque

[1]) Grammatici Arabum ad unum omnes, in externa specie haerentes, verbum triliterum esse pronunciant, et, ubicunque formam simpliciorem repraesentat, unum alterumve de primariis ejus elementis, velut ف, ع, ل, vel etiam radicales duas excidisse opinantur, in hac re grammaticorum judaicorum simillimi. V. *Tanchum* Hierosolym. ad Hos. 10, 14. apud Pococke, Porta Mosis in Notis p. 60., ubi, انّ حقّ, inquit, بل קם وسائر بابه ان يكتب بالق مثل هذا لانّها كلّها فيها سواكين لينة وانّما ترك ذلك استخفافا واتّكالا على دليلة الحركات, quae quidem ferri possint, nisi trigrammatismi ergo essent conficta et ex systemate Arabum praestigiarum pleno hebraicae linguae obtrusa. At in doctrina de formatione vocabuli ejusque cum certa quadam potestate copulatione, quam doctrinam الوَضْع vocant, elementa, quorum quasi confluxu vocabula coorta sint, in partes minutiores, quae dividuae non inveniuntur, secant ac dividunt. *Beidhavi* in commentariis ad Quranum, uti *H. O. Fleischerus* me edocuit, totas biliterarum familias recensens, itentidem ait, compositionem vocabuli h. e. formam ejus nativam binis elementis

indigenitali magis magisque deflecteret, et, quae haec sensu quodam praesagiret, certis regulis abjudicaret atque rejiceret. ***Juda Chajug' Alfasi*** (c. 1000.), arabice ***Jahja Ben-Daud Ibn-Zekerija Chajug'i,*** quamquam sat multi grammatici eum aetate praecurrerunt, summo tamen consensu pro patre grammaticae hebraicae, literarum hebraicarum instauratore et linguae sanctae vindice habetur[2]). Sane is operi grammaticae condendae pridem inchoato fastigium imposuit, et contemplationis grammaticae ejus, quae postmodo non solum inter Judaeos, verum etiam inter Christianos invaluit, fundamenta jecit. Primus enim, abrogata antiqua ista de verbi seminibus opinione et antiquato liberiori isto linguae patriae usu, quem jam paullo ante ***Adonim Levita*** rejiciendum pronunciaverat, legem de trigrammatismo verbi promulgavit atque undique munivit, Arabum, ut videtur, imitatione compulsus, quorum et lingua et scriptis multa cum peritia usus

constantem, quam تَرْكِيب s. تأْلِيف appellat, ad hoc illudve esse, h. e. hanc illamve virtutem generalem habere, quae, accedente litera tertia, multifariam distinguatur. At in eo vehementer fallitur, quod vel in verbis praepositionalibus (veluti نفق et نفل) binas literas inchoantes primitivas, extremam addititiam esse censet, et quod in binarum literarum priorum paritate causam aequalitatis significationum quaerit, qua verba plurima contineantur (quem errorem in lexico hebraico, velut s. vv. פָּרַד, קָצַף, participat *Gesenius.*)

1) העמיד לשון הקדש על בוריו אחר שנשכח בכל הגולה. Sic ***Abraham ben-Dior*** (ס' הקבלה versus fin.); idem, mutatis verbis, multi alii testantur. Dignae sunt, quae conferantur, doctae relationes ***Morini*** (Opuscc. Hebraeo-Samaritana p. 10. ss. Exercitt. bibl. p. 430. ss.) et ***Fabricy*** (Des titres primitifs de la révélation T. II. p. 251.)

est. Explicuit autem theoremata sua duobus opusculis, quorum unum, ס׳ s. ספר אותיות הסתר והמשך אותיות הנוח (arab. „liber tractans de literis lenioribus et fortioribus“) inscriptum, de radicibus quiescentibus agit; alterum, ס׳ בעלי הכפל (arab. „liber duplicantium secundam“), de radicibus geminatis, utrumque, ut refert Jo. Gagnerius apud Wolf. III. p. 308. s., arab. in Bodlejana, prius hebr. in Bibliotheca Oratorii Parisiensi. Liber quiescentiae s. *Sefer ha-Noah* (foll. 46. 8., v. *J. Muscati* comm. ad Kuzari II, 78. in.) in tres sectiones (שערים) dispertitus est, quarum prima, praemissa uberiori de literis quiescentibus expositione, agit de verbis primae radicalis quiescentis (פ״א, פ״י), secunda de verbis secundae radicalis quiescentis (ע״ו, ע״י), tertia de verbis tertiae radicalis quiescentis (ל״ה, ל״א). Conversus est ab *Abrahamo Ibn-Ezra* et a *Gecatilia*, cujus nomen Codex Oratorii prae se ferre dicitur, tantummodo, ut videtur, locupletatus. Liber geminationis s. *Sefer ha-Kefel* (foll. 10. 8.) omnia verba, quorum altera radicalis duplicatur, pertractat (ע״ע). Praeterea sententias et praecepta sua de rebus grammaticis linguae hebraicae tradidit in libro de vocalibus et accentibus (ס׳ הנקוד, arab. in Bodlejana Cod. Pocock. 99.), quem *Ibn-Ezra* transtulit et *Mose Kohen* additamentis aliquot auxit, in libro de syntaxi (ס׳ הרקחה, hebr. in Codd. Bodlej. 5425. 5941.), quem ille ipse *Gecatilia* Cordubensis de arabico hebraicum fecit, et in Lexico hebraico, ad similitudinem arabicorum elaborato et *Babyloniorum*, ut par erat, plausibus excepto.

[1]) Hoc eo nomine laudat s. r. פרח *Salomo Parchon*, totus ille Hispanorum systemati addictus et poësis liturgicae

Ibn-Zekerijam vestigiis consecuti sunt grammatici clarissimi (inter quos occurrit nobis et quasi lucet *Abulwalidi* nomen), qui peristylium amplissimum, cujus ille fundamenta jecerat parietesque duxerat, exaedificare et ad culmen perducere studuerunt. Hi omnes, quantumvis in regulis adhibendis ab Ibn-Zekerija haud raro discederent, tamen ipsis in theorematis cum eo consentiebant[1]), quorum quidem placitorum vis perceleriter totâ diasporâ volitabat et mox tantum apud gentiles momenti adepta erat, ut, qui illa non sicut *θεμένων ἱερὰ* suspiceret, inscitiae contumeliam evitare non posset. Lex trigrammatismi adeo omnes libros de arte grammatica pervasit, ut nullus, quoad scio, exstet, qui ei ratione ac doctrina adversetur. Itali vero et qui praeterea harum partium erant, in poësi certe et exegesi aliquamdiu conservarunt indigenitalem illam linguae hebraicae contemplationem, quam Africani Iberique,

omninoque rhythmi finalis acerrimus adversarius, discipulus *Judae Levitae,* quem, morte appropinquante, propter poematum rhythmicorum compositionem poenitentiam egisse refert, et cultor *Ibn-Ezrae*, qui in Pajthanos acerbissime invehitur et ne hispanicis quidem parcit (Eccles. V, 1. VIII, 10. Exod. I, 13.), cui adstipulantur *Jakob ben-Zebi* (סידור עמודי שמים Tom. II. f. 87, b.), *Isaak Reggio* (התורה והפילוסופיא p. 59.) et quidam *Juda Wahrmann* (מערכת המעתקית, System der Tropen, Ofen 1831. 8.), qui ad vitia poesis exemplis illustranda carminibus iis, quae *Piuthim* appellantur, itentidem abutitur et Heidenheimium, *Qalirii,* poetae Caralitani, defensorem, refutat.

1) הסכימה דעת כל המדקדקים עם החיוג כי לא נמצא פעל פחות מג׳ אותיות ואם תפול ממנו אות הראשונה נאמר כי הוא מנחי הפ״א ואם האמצעית תפול הוא מנחי הע״ן ואם תפול האחרונה הוא מנחי הלמ״ד: Simsoni f. 29, b.

primum ejusdem contemplationis participes, deinde ocius abjecerant grammaticae aequalitatis studiosiores. *Menahem ben-Saruk*, uti prolegomena totaque dispositio lexici ejus nuper typis exscripti ostendunt, priscam linguae patriae (לשון יהודית) contemplationem nondum deseruerat. Proinde literis accidentalibus multo plures adnumerat, quam grammatici sequiores, et radices biliteras (quo nomine verba cava, geminantia et paragogica appellat), triliteras ac quadriliteras discernit, hac in re *Natani Jehiëli* Romani simillimus, cujus *Aruk* inter omnia scholae italicae monumenta eruditione, utilitate atque gloria longe ceteris eminet. Quid quod demonstrari etiam potest, interpretes Veteris Testamenti graecos, utpote Palaestinenses, et *Philonem* Alexandrinum, pro arcta Iudaeorum aegyptiacorum cum palaestinensibus necessitudine, nondum illos artis grammaticae luce vel illuminatos vel luminibus captos, in opinionibus suis de verbi radicibus atque universa linguae structura ad veritatem proxime accessisse eandemque linguae sanctae contemplationem quasi ipsorum mentibus innatam habuisse, quae nobis ex *Pijuthim* italicis, gallicis et germanicis medii aevi ineuntis se offert[2]). Atque etiam exegesis

[1]) Ex etymis nominum pr., quae Philo in operibus suis copiosissime proponit, consequitur: I) eum hebraicae linguae maximam vocabulorum coagmentandorum facultatem concessisse, quare nomm. pr. pluribus saepe ac diversissimis ex elementis conglutinata ponit, veluti אברהם, *πατὴρ ἐκλεκτὸς ἤχου* I. p. 139. (ex אָב, בַּר = בָּרַר, הָם = הָמָה); דתין, *ἔκλειψις ἱκανή* I, 196 (ex דַּי, תַּן = תַּם); פעור, *στόμα δέρματος* I, 595 (= פִּי עוֹר); רעמסם, *σεισμὸς σητός* I, 632. (= רעם סם, Gemara: שראשון מתרוסם, aeque absurde); כרובים *ἐπίγνωσις καὶ ἐπιστήμη πολλή* II, 150. (ex כַּר = הַכָּרָה,

talmudica et innumera nominum propriorum etyma, quae in Misna et Gemara utraque proponuntur, ostendunt, talmudica aetate legem trigrammatismi, quippe quam ars, non natura progenuit, plane ignotam fuisse contemplationemque linguae aetate talmudica vigentem grammaticae isti atque arabizanti prorsus fuisse contrariam[1]). Sed emphasin illorum additamentorum

רַב et בִּים = בִּין, barde videlicet, Gemara perpusillo melius: כְּרַבְיָא) — II) eum in verbis praefixa accidentalia, quae ad radicem extrinsecus accesserint, agnovisse, sed emphasin eorum non intellexisse, velut למך, *ταπείνωσις* I, 233. (לָ־מַךְ = מַךְ); הגר, *παροίκησις* I, 135. (גָּר = הָ־גַר); כנען, *σάλος* I, 399. (נָע = כָּ־נַע); משק, *ἐκ φιλήματος* I, 478. (שַׁק = נָ־שַׁק); זלפה, *πορευόμενον στόμα* (ex פֶּה et זַל = אָ־זַל) — III) eum accidentalitatem literarum vocalium in exitu vv. triliterorum bene sensisse, velut גלעד, *μαρτυρίας μετοικία* I, 91. (גַּל = גָּלְ־ָה); פישון, *στόματος ἀλλοίωσις* I, 58. (שָׁן = שָׁנְ־ָה); שת, *ποτισμός* I, 228. (שָׁת = שָׁתְ־ָה); תלמי, *κρεμάμενός τις* I, 236. (מַי = מִי, תַּל = תָּלְ־ָה); צען, *ἐντολὴ ἀποκρίσεως* I, 237. (עַן = עָנְ־ָה) — IV) eum radices plerumque biconsonas esse censuisse vel etiam uniconsonas, velut צען, *ἐντολὴ ἀποκρίσεως*, l. l. (צ = צִוָּה); לוט, *κλινόμενος, ἀπόκλισις* I, 410. 438. (ט = נָטָה); רחל, *ὅρασις βεβηλώσεως* I, 523. (ר = ראה); יון, *est et non est* (= יו־ן), אלמודד, *ad ma-trem ejus praecipuam* (מו = *μή-τηρ*, copt. *mau*), Hieronym. in Philonis Libr. de Interpretatione.

[1]) In Cod. *Sanhedrin* Deut. I, 17. לֹא תַכִּירוּ פָנִים ab uno doctore explicatur: לא תכירהו, ab altero: לא תנכרנו, propter communem radicem verbo seu conj. utrique subjectam. In Cod. *Makot* R. Ismael, ut et suppliciorum judicialium et excisionis divinae reos vapulare demonstret, Deut. 28, 59. adducit et, הִפְלָא quidnam sit, sciscitans, addit: כשהוא אומר והפילו השופט לפניו והכהו הוי אומר הַפְלָאָה זו מלקות (unde ap-

accidentalium, praefixorum potissimum, scientiâ non assequebantur, et, quamquam compositionis inveniendae studiosissimi, tamen verbi mirificam compositionem non perspiciebant. Atqui, quae non intelligebant, sentiebant certe et reconditam multiplicemque linguae patriae compactionem, qua sanscritâ neutiquam antecellitur, augurabantur [1]).

paret, eum verbis פָּל־אָ et נָ־פַל eandem radicem adscripsisse). Nomen avis cujusdam שָׁלָךְ Lev. 11, 7. (*Cataractus Bassanus* Linn.), tanquam ex rad. של et terminatione nom. ak ortum, Cholin 63, a. explicatur: השולה דגים מן־הים. Haec exempla in medium profert Professor *Levisohn* in Praef. II. ad *Tokahat ha-Megila* (Hamb. 1784. 4.). Clarius rem eandem probant sexcenta nominum pr. etyma in talmudibus proposita, velut nominis צִין (שנצטוו ישראל עליו, a v. צוה, rad. צ, Berakot IX.), וַפְּסִי (שפסע על־מדותיו של הקב״ה, a v. פסע, rad. פס, Sotha I.); שֵׁשַׁי (שמשים את הארץ כשחיתות, Joma I., ubi Isaaki Trecassinus, principiis Italorum addictus, adnotat: ששי לשון השאת והשבר והשין לבדה שורש לתיבה); אַרְדוֹן (על שהיו פניו דמים שרידה את יצרו, ex sententia aliorum: לורד, propter vultum rosae similem, ורד = רד, sicut ऋध् = वृध्, crescere); cf. אַמְרָפֶל (ex אָמַר et נָ־פַל Gen. Raba 42, 5.) etc. etc.

[1]) Omnia plurilitera in talmudibus operibusque Judaeorum aequalibus per compositionem explicantur, veluti אֲגַרְטַל (vas ad rorem h. e. sanguinem excipiendum, vel etiam argutius: מקום שאוגרין בו דמו של־טלה, j. Joma III, 7.); חֲנָמַל grando major, qui, cum incubat, infringit, Isaaki ad Ps. 78, 47., e vv. חן = חָנ־ָה et מַל = מָלַל, *Jelamdenu* midrasice: בַּחֲנָמָל = בא חן מל); חִדֶּקֶל (v. supra p. 56.); חַשְׁמַל (עתים חשות עתים ממללות h. e. modo, Deo loquente, silentes, modo eum hymnis celebrantes, Chagiga II. init.); כְּרוּב (= כרביא, pueri instar, ibid. f. 13, b.); כַּרְמֶל (כר מלא, pulvinar plenum h. e. spica plena granis, Menahot

Lingua enim sanscrita una est de linguis eis, quarum facultas ex semet ipsis sese propagandi, perficiendi atque amplificandi nullis terminis circumscribi potest. Quemadmodum radices ejus linguae in amplitudinem immensam egerminare innumerisque eluxuriari possunt quasi pampinis, sic etiam ejus virtus, qua vocabula e radicibus formata rationibus multifariis, quotcunque vult, componere potest, inexhausta est atque interminata. Sanscrita lingua omnibus linguis, quibuscum sororia necessitudine conjuncta est, in eo praestat, quod vocabula notiones vel earum relationes significantia, si plura aut quotquot sunt, etiam formaliter uno vocabulo, uno notitiae compositae signo, logice illo ordinato et certe determinato, comprehendere potest. Quae quidem compositio partim mere additiva est, h. e., non plus minusve exprimit, quam quod, partibus compositionis singulis ad unam summam relatis, conficitur, partim dynamica, h. e., novam significationem

66, b. *Sifri:* רך ומל, spica tenera et friabilis); מִכְתָּם (מך ותם, A. *ταπεινοῦ τελείου*, S. *τοῦ ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου*, vel: שהיה מכתו תמה, a v. נָכָה, rad. כ, Sotha I. §. 28. Wagens.); מַמְזֵר (מום זר, Jebamot f. 78.); נֶבְרַשְׁתָּא (נר בר־שתא, Pseudo-Saadia ad Dan. 5, 5.); עוּרְפִּילָא (עור פילי, pluvia fissuras terrae contrahens, Gen. Raba f. 112, c.); שַׁעַטְנֵז (שוע טווי ונוז, laevigatum, netum et nexum, Nida 61, b.). „Etiam scholiastae et grammatici Arabum hanc pluriliterorum originem quam latissime extenderunt, ubique fere duas radices triliteras quaerentes, ut *Tebrizi* ad Hamasam p. 54. nomen شَمَيْذَرٌ cameli derivat ex شمذ et شذر compositis; sed haud ita composita videntur, nisi quae usu continuo copulata tandem brevius unam in vocem contrahebantur.“ *Ewald*, Gramm. Critica Linguae Arab. I. p. 90. 1.

gignit, quae partes compositas contineat ac sustentet. Commemorandum est, his in compositionibus nominalibus partes orationis forma simplicissima, qua separate non usuveniunt, collocari; multa etiam nomina nonnullasque particulas more alias insolito abbreviari. Necessarium est vero ad linguas sanscritas et semiticas recte comparandas, ut facultatem componendi, qualis in utrisque est, diligenter compenses et virtutes, quae sunt vel utrarumque communes vel alterutrius peculiares, non ex opinione, sed ex veritate aestimes.

Primum igitur scito, statum constructum linguae hebraicae genus compositionis esse omnes species compositionis sanscritae complectens hujusque ipsius simillimum. Quemadmodum enim in lingua sanscrita membra compositionis priora usque ad extremum formas breviores ac fere primarias repraesentant, sic in hebraico quoque constructivo vocabula priora ita abbreviari solent, ut ad radicis speciem quam proxime accedant. Id quod clarissime perspicitur in nominibus aliisque orationis partibus cum suffixis pronom. junctis, quae quidem, hoc modo correpta et extrinsecus adaucta, ad formas ipsorum priscas et partim exoletas quasi refugiunt — genus compositionis vel potius concretionis intimae, quod lingua sanscrita prorsus ignorat, etsi pronomina personalia et possessiva, quae verbis et nominibus semiticis addi solent, ex radicibus sanscritismi et semitismi communibus mire decurtata sunt. Sed etiam constructivus is, quo copulatio dividua ac liberior efficitur, quantumvis non ipsa scriptione cum membris compositionis consequentibus junctus, formas tamen simpliciores, vocalismi plenioris et consonarum accidentalium quasi amictu exutas ostendit. Corripiuntur enim et si-

mul imminuuntur vocales longae, ut vocabulum constructivum, cujus ulterior determinatio sive distinctio in sequenti continetur, utpote per se indefinitum et non sufficiens, ad alterum approperet atque adhaerescat, immutatur etiam terminatio vocabuli ita, ut cum sequenti, si non scriptione[1]), at tamen lectione et intelligentia coagmentari ac coalescere possit. Si numerum vocabulorum reputas, quae hac ratione arctissime conjungi queant, ea totidem esse posse invenies, quot compositione sanscrita comprehendi possunt. Sexcenties vocabula bina hoc modo componuntur, saepiuscule etiam tria (Jes. 18, 1.), quatuor (ib. 13, 4.), quinque (ib. 10, 13.), sex (ib. 21, 17.), septem (ib. 14, 19.), nec dubito, quin exempla majoris etiam vocabulorum constructorum copiae inveniri possint.

[1]) Constat, *Indos* sine ulla vocabulorum disjunctione scribere solere, cui scriptioni favent leges eorum euphonicae, quarum nonnisi pertenuem similitudinem praebent *Dages* euphonicum in primis vocabulorum cum antecedentibus connectendorum literis et *Makef* Hebraeorum, ac *Vesla* Arabum. At hebraismus quoque priscus literas nullas finales noverat, j. Megila I. §. 7. 8., b. ibid. f. 3, a. et *Jakob bar-Salomo* ad h. l., cf. b. Sanhedrin f. 22, a. et *Samuel Eideles* ad h. l. Neque in scriptura *samaritana* (ליבונאה, רועץ, כותי, עברי) literarum כמנ״פץ propria signa exstant. Indivisa scriptura nunquam non utuntur veteres *Hebraei* in numis, *Palmyreni*, *Persae* in monumentis Sassanidarum. Etiam scriptura vetus phoenicia continuas verborum series nullis literis finalibus distinctas exhibet; nonnisi paullatim vocabula punctis (uti apud *Samaritanos* et *Aethiopes*) aut spatiis (sicut in monumentis *aramaeis aegyptiacis*) interjectis disjungi videmus. V. Gesenius, Scripturae Linguaeque Phoeniciae Monumenta lib. I. §. 34., 4. 38. 53, 2.

Porro, si species compositionis sanscritae ratione sensus, qui conficitur, consideras, constructivum hebraicum aliquas non exprimere, multo vero plures praeterea exprimere posse invenies (uti par est in lingua, quam casuum notae deficiunt); siquidem statu constructo non solum vocabula aliquot, sed tota enunciata sub unius notionis communionem redigi possunt et sensus compositione constructiva, quam ne nomina quidem ac verba praefixis praepositionalibus et adverbialibus aucta aspernantur, efficitur tum multimodus, ut nulla syntaxis, quotquot hactenus conscriptae sunt, hanc materiam pertractare potuerit. Constat ex linguae sanscritae grammatica, sex esse compositorum genera: quorum quidem primum atque alterum linguae sanscritae unice propria sunt. Genus enim *Dvandvorum*, quod nomina bina plurave ejusdem casus ἀσυνδέτως inter se apta atque arctissime connexa repraesentat, lingua sanscrita plane peculiare habet eoque ad composita efficienda utitur, quorum magnitudinem neque fluentisona Nonii granditas, neque crispisulcans Aristophanis lepor aequiparare potest. Vix trahi huc potest asyndeton (תמונת הקשור המחסר), in oratione sublimiori usitatum, velut שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ (Hab. 3, 9.), a quo चन्द्रादित्यौ sive सूर्याचन्द्रमसौ (sol et luna) differunt eo, quod, quia partes compositionis duae sunt, terminationem dualem adjectam habent, cf. Jes. 27, 4. 28, 2. 32, 13. Jer. 8, 17. In eo vero dictio hebraica ad *Dvandvos* aliquatenus accedit, quod constructivus nonnunquam nullam regiminis vel dependentiae rationem inter vocabula copulata gignit, sed quadam solummodo coordinatione ea complectitur, e. c. בְּתוּלַת בַּת־צִיּוֹן (2 Reg. 19, 21.), h. e., virgo filia

Zionis (non: filiae); תּוֹלַעַת יַעֲקֹב (Jes. 41, 14.), h. e., vermiculus Jacobus (non: Jacobi); porro, quod interdum prius duorum nominum per *Vav* copulativum conjunctorum formam constructivam habet, ut inter se ex commissura firmissime jungantur, velut גִּילַת וְרַנֵּן (Jes. 35, 2.), חָכְמַת וָדַעַת (Jes. 33, 6.), cf. שְׁכֻרַת וְלֹא מִיָּיִן (Jes. 51, 21). Ab hac collectiva compositione longe differt dynamica compositorum possessivorum, quae sanscrite ***Bahuvrîhi*** nuncupantur, et personam vel rem indicant possidentem id quod singulae compositi partes indicant, notione possessionis ex ipsa compositione mire prognata. In hebraica lingua nil consimile repereris, praeterquam in nmm. propriis, velut אָהֳלִיבָמָה, tentorium locorum arduorum (בָּם ex בָּא prolong., acclamante ipsa scriptura Ez. 20, 29.), h. e., quae habet tentoria in montibus (auf Berghöhn zeltend); אוּרִיאֵל, lux Dei, h. e., qui habet lucem divinam (der Gotterleuchtete); גִּלְבֹּעַ, fons scaturiens, h. e. mons fontium scaturiginibus irrigatus; גַּדִּיאֵל, fortuna Dei, h. e., qui habet fortunam divinam (der Göttlichbeglückte), punice: ***Himilco***, is qui possidet gratiam Milcaris; ***Hiempsal*** (חכמשבעל), is qui instructus est sapientiâ Beli — et nmm. pr. hujuscemodi generis: חֲרוּמַף (Neh. 3, 10.), qui nasum habet depressiorem, simus; נְמוּפַעַם, nomen punicum martyris, quod ipse Augustinus (Epist. XVI, 17.) *boni pedis homo* explicat: quae quidem composita conformatione sua perparum differunt a sanscritis पीनश्रोणिपयोधर, h. e. turgida femora et mammas habens (Nalus XI, 32.), सुश्रोणी, pulchra femora habens (ibid. XII, 66.). Sequuntur ***Karmad'âraya***,

h. e. composita determinativa, quorum membrum posterius vel substantivum vel adjectivum est, quod priore membro h. e. qualibet orationis parte praeter verbum describitur s. distinguitur, sine ulla ratione genitiva, quae in constructivo hebraico evitari vix potest, e. c. प्रियभार्या, amata uxor, hebraice אַיֶּלֶת אֲהָבִים (Prov. 7, 18.), ubi vocabulum prius posteriori determinatur; तीव्रशोक, acutus s. acerbus moeror, hebr. מְרִי שִׂיחַ (Job. 23, 2.), ubi vocabulum posterius priori determinatur. Participat autem lingua hebraica compositorum determinativorum ea, quorum prius membrum adverbium est, veluti अजीवित, hebr. לֹא־חַיִּים, h. e., mors, cf. לֹא־אֵל, Non-Deus, Deaster (Deut. 32, 17. 21. Jer. 16, 20. Am. 6, 13.); אַל־מָוֶת, τὸ μὴ θνήσκειν, immortalitas (Prov. 12, 28. 30, 31.; עַל־מות, ἀθανασία, sec. Aquilam); אִי־נָקִי (Job. 22, 30. Targ. גְּבַר דְּלֵיתוֹי זַכָּאִי), impurus (sicut in nn. pr. אִי כָבוֹד, inglorius, 1 Sam. 4, 21.; אִיזֶבֶל, ἄλοχος; אִיתָמָר, non procerus, parvus, compp. cum אִי, quod अ privativo respondet); אֵין־קֵץ, infinitus; אֵין־עֵינַיִם, caecus (parall. עִוֵּר Jes. 59, 10.); בְּלִי מַיִם, ἄνυδρος, בְּלִי מָשִׁיחַ, ἄχριστος, et, quae vel scriptione juncta sunt: בְּלִיַּעַל, non-altitudo, barathrum, pernicies (N. T. vi concretiva: Βελίαλ, Βελίαρ), et בְּלִימָה, sicut לֹא־דָבָר, τὸ μηδέν (das Nicht-Etwas, das Nichts); מְמּוּם, intaminatus (Job. 11, 15.), מְכֻּנָּה, elumbis, enervatus (Jer. 48, 45.), מִצְעִירָה, subparvum, parvulum (Dan. 8, 9.)[1], מִיָּמִין (מִנְיָמִין) n. pr., infelix,

[1]) Ex sententia nonnullorum perquam incerta huc pertinet etiam מְגֹּאֵל (Rut 2, 20.). *Qimchi:* כמו משריש ומשרש בן גואֵל הוא הקרוב ומְגֹּאֵל שנתרחק מן הקרבה והמשפחה והם נתרחקו שלא מצאו בכתב היחש. V. *Gesenius*, Systema §. 123.

et composita cum aliis particulis sexcenta, quae Karmadʿârayis sunt adnumeranda. Quid quod etiam pr. interrogativum מִי instar sanscriti किम् compositioni inservit ad nominis, quocum compositum est, pravitatem s. exilitatem significandam, velut חָכְמַת־מֶה, sapientia nulla, stultitia (Jer. 8, 9.), et in aliquot nn. propriis. Cavendum tamen est, ne in ejus generis compositis statuendis modum egrediare, et, id quod *Pottio* accidit, qui praefixi का mire studiosus est, ingenio nimium indulgeas. Quartam compositorum classem conficiunt energica, *Tatpurusha* s. composita dependentiae dicta, quorum membrum prius a posteriori regitur, ita ut praeter nominativum et vocativum cujusvis casus obliqui rationem, additis vel omissis casuum signis, exprimere possit; quos ad *Tatpurushos* proprie pertinet status constructus Hebraeorum, hoc tamen discrimine, quod non posterius, sed prius membrum regens est ex inversa semiticarum linguarum consuetudine, v. c. אֲדוֹן הָאָרֶץ, sanscr. मद्दीपति (terrae dominus); אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם, sanscr. दिवस्पति (coeli dominus, cogn. Indri), expresso per terminationem genitivo (*div-as*). Etiam hebraica lingua reliquias soni vocabula constructa copulantis (־ִי, ־וֹ) exhibet, qui in pentateucho et, utpote archaismus, a poëtis sequioribus usurpatur, veluti גְּנֻבְתִי יוֹם (Gen. 31, 39.), חַיְתוֹ־אֶרֶץ (Gen. 1, 24.), v. *Ewaldum* in Gramm. ed. 1838. §. 406. Perfrequens est hujus soni copulativi usus in compositis nn. propriorum, velut מַלְכִּי־צֶדֶק, אֲחִימָן (amicus Veneris), אֲחִטוּב (1 Sam. 14, 3., cf. ibid. 22, 11., cultor honestatis), אֲחִיָּה (amicus Dei); הֲמוּטַל (*Ketib* bis: הֲמִיטַל, h. e. roralis, roscida, die Thau-

ige, die Lebensfrische), פְּנוּאֵל (= פְּנִיאֵל (Gen. 32, 31.)[1]), רְעוּאֵל (familiaris Dei; Num. 2, 14., pro quo Jud. 19, 11. דְּעוּאֵל, propter sensus aequalitatem), מְתוּשֶׁלַח (a. n. מַת, mas, vir), cf. phoenic. מְתוּעַשְׁתֹּרֶת, nomen regis Tyri, qui alibi vocatur עַבְדַּעַשְׁתֹּרֶת, item propter sensus aequalitatem. Sunt etiam nonnulla nomm. appellativa ad *Tatpurushos* genitivos referenda, quae copulate scribuntur et, etiamsi origine non fuerint composita, tamen compositorum vim jam antiquitus obtinuerunt: מַאְפֵּלְיָה (Jer. 2, 31. Codd. aliquot: מַאֲפֵלְיָה, omnes conjuncte), quod etiam ex forma feminina intensiva מַאְפֵלְיָה possit esse correptum; שַׁלְהֶבֶתְיָה (Cant. 8, 6. *Ben-Aser:* שַׁלְהֶבֶתְיָה, sine Mapik), forsitan corrept. ex שַׁלְהֶבֶתְיָהּ, flamma flagrantissima; צַלְמָוֶת (umbra mortis, Targ. *Jes.* טוּלֵימוּתָא, Targ. *Ps.* טוּלוּ דְמוֹתָא), quod ex צַלְמוּת, arab. ظُلْمَةٌ (plur. ظُلُمَاتٌ) dissolutione ortum videtur; אֲרִיאֵל (ara Dei, non ab igne coelesti leonis instar incubante, uti in Talmude insulse fingitur, sed a v. אָרָה, vi conflagrandi, arab. أرى, unde إِرَةٌ, ara, focus), quod a n. הַרְאֵל Ez. 43, 15. non est diversum, sed a n. non composito אֶרְאֵל (אֶרְאֵל) bene discerni oportet; צְפַרְדֵּעַ (rana, non تمساح, χάμψα, crocodilus, ut vult *Chananel Kairovani)*, comp. ex sententia antiquitatis (tanquam

[1]) Sic commutantur *Abnêr* et *Abinêr* (1 Sam. 14, 51., cf. 14, 50.), *Abshaj* et *Abishaj* (1 Paral. 19, 11. 2 Sam. 10, 14.), *Abshalom* et *Abishalom* (2 Sam. 3, 3. 1 Reg. 15, 2.), *'Abdeël* et *'Abdiël* (Jer. 36, 26. 1 Par. 5, 15.), *Elzafan* et *Elizafan* (Ex. 6, 22. 2 Par. 29, 13.), *Eldad* et *Elidad* (Num. 11, 25. 34, 21.), *Elpeleth* et *Elifeleth* 1 Par. 14, 5. 3, 6.).

sciens mane, Targ. אוּרְדְּעָא, ad s. f. מַרְדֵּעַ = מוֹרֶה דֵּעָה, Lev. Raba XXIX.), fortasse tamen simplex, id quod forma arabica ضَفْدَعٌ et aramaica ܥܘܪܕܥܢ, עוּרְדְּעָן comprobare videntur; דוּכִיפַת, compos., ut verisimillimum est, ex דּוּךְ (= ديك, גֶּבֶר, gallus) et כֵּיפַת (כֵּיפָא, rupes, mons), proinde gallus montanus s. sylvestris (Targg. נַגָּר טוּרָא, Syrus et glossae: תַּרְנְגוֹל בָּרָא, Cholin 63, a. inepte: שהודו כפות). His sex in nominibus membrum compositionis alterum genitive accipiendum apparet; magnopere vero errares, si potestatem status constructi non latius, quam ad rationem genitivam exprimendam patere opinarere. Neque enim solum rationes omnium casuum obliquorum comprehendit, sed etiam relationes adverbiales, omni praefixo posterioris membri omisso, designat, vel hac in re *Tatpurushi* sanscriti simillimus, velut לֹכֵד עִיר (pl. לֹכְדֵי עָרִים), sanscr. पुरन्दर; עֹלֵה שָׁמַיִם, sanscr. त्रिदिवगत; חֹלַת אַהֲבָה, sanscr. हृच्छयपीडित; שֹׁכְבֵי קֶבֶר, syn. sanscr. महीसुप्त; יֹרְדֵי דוּמָה, שׁוּבֵי מִלְחָמָה, יֹצְאֵי צָבָא, בֹּגְדֵי אָוֶן, quibus omnibus totidem exempla *Tatpurushorum* sanscritorum ex asse congruunt. Interdum autem distinctio adverbialis alterius membri praefixa ipsa particula, veluti ב pro locativo Indorum, diserte indicatur, et nihilominus constructiva forma prioris retinetur[1]). Ubique vocabulum regens, quod solum formae vicissitudinem pati potest, praecedit, ex constanti semitismi ordine, quem, in veteri

[1]) Liceat ex solo Jesaiae libro exempla aliquot adscribere, constr. sequente ב, 5, 11. 9, 2. 19, 8. 56, 9.; seq. ל, 56, 10.; seq. מ, 28, 9.,; seq. אֶל, 14, 19.; seq. בִּלְתִּי, 14, 6. Complura exempla vide in *Ewaldi* Gramm. §. 510.

hebraismo raro violatum (אֲפֵלָה מְנֻדָּח, in caliginem extrusus, Jes. 8, 22.), lingua neohebraica vulgaris, occidentalium linguarum vi corrupta, saepiuscule transgreditur. At, quemadmodum nn. propriorum linguae hebraicae conformatio multo plus cum sanscrita convenit, quam appellativorum: sic etiam *Tatpurushorum* genus, quorum alterum membrum nuda est verbi radix regimine verbali vocabulum prius sustinens, ex nomm. propriis occurrit, idque expressa vel sanscrita vocabulorum collocatione, veluti אֶלְדָּעָה (= דְּעוּאֵל, Deum noscens), שְׁמִידָע (id., numen h. e. Deum noscens), אֱלִידָד, אֶלְדָּד (= יְדִידְיָה, Deum amans, quae sanscriti धर्मविद् simillima sunt maximeque gemina. *Tatpurushos* excipiunt composita collectiva, *Dvigu* dicta, quorum prius membrum numerale est, quo comprehenditur ac definitur posterius. Huc pertinent numeralia hebraica cum suffixis juncta, velut שְׁנֵינוּ, שְׁלָשְׁתָּם, חֲמִשֶּׁיךָ, et formâ constructivâ nominibus praeposita, velut חֲמֵשֶׁת־חוּשִׁים, sanscr. पञ्चेन्द्रिय; שְׁלֹשֶׁת לֵילוֹת, sanscr. त्रिरात्र; אַלְפֵי שִׁנְאָן (Targ., traditionem sequens: תְּרֵין אַלְפִין דְּאַנְגְּלַיָּא, *δισχίλιοι ἄγγελοι*), שְׁלֹשׁ קִלְּשׁוֹן (1 Sam. 13, 21., tridens, n. more prorsus indogermanico formatum, Glossa: כלי שלוש השנים), vel, inverso ordine: הַרְרֵי־אָלֶף (Ps. 50, 10.), עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה (Jes. 15. 5.) et similiter. Agmen claudunt composita adverbialia, *Avyayîb'âva* dicta, quae inchoat vox indeclinabilis, sequente substantivo neutraliter terminato. Comparare possis Hebraeorum לְפִי, מֵאַחֲרֵי, בְּעֵינֵי, אַל־דֳּמִי, עַל־יֶתֶר (syn. sanscr. *yathâ-çakti*, verbatim: כְּחֶזְקָה; *par-ô-ks'am*, verb. מֵעַל־עֵינֵי; *sam-aks'am*, h. e., cum oculis, in conspectu; *nir-antaram*, h. e., sine intervallo; *ati-*

mâtram, h. e. עַל־מִדָּה, supra mensuram), et multa alia adverbia ex particulis et substantivis concreta, quibus lingua hebraica redundat, quae tamen omnia eo differunt a sanscritis, quod nullam terminationem neutralem ipsa compositione accedentem ostendunt. Attamen terminationes illas nominativi et accusativi nmm. neutr. *am*, *i* et *u* non ignorat lingua hebraica; imo utitur iis plane, sicut sanscrita, ad adverbia ex nominibus formanda, e. c. יוֹמָם, quotidie, sanscr. प्रत्यह्नम्; פִּתְאֹם (ex פֶּתָא = פֶּתַע), sanscr. अनन्तरम्; קְדֹרַנִּית (Mal. 3, 14., a n. קְדֹרָן, sordidus, moestus); קוֹמְמִיּוּת (Lev. 26, 13., a n. קוֹמְמִי, erectus).[1]

Hebraica igitur lingua, uti, hac instituta comparatione, elucet, statum constructum ut compositionis multiformis, qua lingua sanscrita gaudet, quasi vicarium substituit; vocabula autem constructa plerumque discrete scripta, crebro et certis quidem ex regulis[2]) interjecto *Makef* coagmentata, raro ipsa scriptione copulata sunt. Nam quod in nn. propriis usuvenit, ut partes, ex quibus composita sunt, ipsa scriptione coalescerent, hoc in nn. appellativis, exceptis perpauculis exemplis iisque perquam incertis, non obtinuit. Quod quidem bene nosse constanterque tenere apprime necessarium est ad nn. hebraica

[1]) Huc referri oportet adv. denominativa: אָמְנָם (אֹמֶן), חִנָּם (חֵן), מָחֳרָתָם (מָחֳרָת = מְאָחֶרֶת), רֵיקָם (רִיק); אַפְתֹּם (אֶפֶת = אֶפֶס), טְרוֹם (*Ketib:* = טֶרֶם, a v. טָר, *τηρ-εῖν*), מְתֹם (מַת), שִׁלְשֹׁם (שֵׁלֶשׁ). V. *Fuerst*, Systema §. 164. not.

[2]) Has egregie exposuit Heidenheim, משפטי הטעמים IV, 3. cf. Luzzatto, Prolegomena p. 130. not.

explicanda conformationisque eorum doctrinam perficiendam, comparativam illam potissimum et ex sanscritismo illustratam. Etenim quod etiamnunc in lexicis nostris hebraicis nominum atque etiam verborum pluriliterorum plurima inter composita (et quidem magnam partem hybrida) recenseri videmus, profecto error est futilis ex maxima rationis, quae inter semitismum et sanscritismum intercedit, ignoratione ortus, quem grammatici arabici eorumque simia imitatione judaici, utrique sensu quodam obscuro seducti, progenuerunt et nosmet ipsi, a judaicorum magistrorum auctoritate nimium pendentes, propter inveterationem nondum abjecimus. Nonnulla vero horum nominum pluriliterorum, quae pro compositis fallacissime venditantur, p r o s t h e s i ex formis simplicioribus accreverunt, velut סַנְוֵרִים, caecitas, a v. נְוַר = נָר = נָאַר (נור, נִיר, מָנוֹר), perforare (quemadmodum עִוֵּר a v. simpl. עָר, excavatus, excaecatus, caecus, forma *piëlica*, uti et *shafelica*, vitiositatem habitualem significante); זִלְעָפָה, procella adurens s. conflagrans, a v. לָעַף = לָהַב, *λάμπειν* (v. p. 145 not.); עֲטַלֵּף, *talp-a*, neutiquam comp. ex غطل, caliginosum esse, et עֵף, volucris; עַקְרָב, scorpio, a v. קָרַב (p a c k e n, *greifen*), quocum cognata sunt כָּרַב, גָּרַף, עָרַב (עָרֹב), חָרַב (חָרֵב); עַכְשׁוּב, aspis, a v. כָּשַׁב (simpl. שָׁף), linguam vibrare, inhiare. Alia eorum nominum e p e n t h e s i amplificata sunt, injecto potissimum *Rês* (sicut in בַּרְזֶל = בַּזֶל, סַרְעַפָּה = סְעַפָּה, [illegible] = [illegible]), e. c. כַּרְכֹּב (= כַּכֹּב, cinctura, limbus, a v. redupl. כָּבַב, quod ex simpl. כַּב, كَبَّ ad s. f. sanscr. *c'akâs* adauctum est et, ut ad nomen, sic etiam ad v. epentheticum accrevit in zab. et talm. כַּרְכֵּב, quod *G e s e n i u s* ex כָּרַךְ et כָּבַב conflatum

esse comminiscitur); חַרְצֹב (= חַצֹּב, vinculum, a v. חָצַב, arab. eadem epenthesi: حَضْرَبَ); סִרְפָּד (= סִפָּד, sentis, urtica, a v. סָ־פַד, quasi confindere, pungere). Nonnulla nomm. pluriliterorum obscuriori quadam reduplicatione unius duarumve radicalium nata sunt, velut עַבְטִיט, pignus (a v. עָ־בַט = עָ־בַת, colligare, obligare), זַרְזִיף, imber (a v. זָרַף, fluere, manare). Verum maxima eorum nominum pars terminationum nominalium accessione exstitit; quibus nominum affixis pervulgatissimis vel non agnotis vel prorsus ignoratis grammatici ingentem verborum commentitiorum copiam pepererunt[1]). In his nominum

[1]) Idem accidit grammaticis ignoratione imperfectivae nominum conformationis, quam in nonnullis nmm. tum appellativis tum propriis agnoverunt quidem, sed, quam vulgaris sit et per universam linguam longe lateque pervagata, ita ut nmm. imperfectiva cum perfectivis magnas classes constituant, non intellexerunt. Scito igitur, in nmm. formandis ad habitum quendam vel actionis vel status, qui personae vel rei inhaerescat, significandum imperfecta verborum adhiberi et via ac ratione quadruplici in nomina sive substantiva sive adjectiva immutari. Nonnulla enim plane nullam formae verbalis vicissitudinem experiuntur, veluti יָרֵחַ (luna quasi migratrix noctivaga, Job. 31, 26., a v. רָח, sanscr. ऋच्छ, syn. sanscr. *ad-vaga,* der Wanderer, cogn. solis), יָרִיב (adversarius, a v. רָב), יָתוֹם (orbatus, orphanus, a v. תָּם). In aliis vocalis praefixi personalis corripitur, e. c. יְקוּם (substantia, a v. קָם), יְבוּם (n. pr., conculcator h. e. expugnator), et sensu passivo: יְגַר (cumulus, a. v. גַּר, ἀγείρειν), intransitivo: יְעָף (volatus, a v. עָף). In multo pluribus vocalis modalis imperfecti producitur, e. c. יִצְהָר (oleum, a v. צָהַר, splendere), יַחְמוּר (dama, a v. חָמַר, rubellum esse), יָרֵךְ (femur, inguen, a v. רַךְ, molle, tenerum esse), יָחֵף (discalceatus, subst. nuditas

affixis celerem gradum paullisper contineamus, ut, in ea intuentes, rursus jucundissimo conspectu intimae semiticarum indogermanicarumque necessitudinis certe aliquantulum fruamur atque etiam in hujus campi amoenitatibus lotos aliquot puniceas cum totidem rosis hierichuntinis istinc decerptis unam in corallam connectamus.

Primum igitur hoc habeto, nomina multifariam distribui posse, prout vel has vel illas conformationis eorum proprietates consideras. Si ad prima elementa, ex quibus exstiterunt, respicis, reperies *verbalia,* quae ex verbo orta sunt aut certe cum verbo arcte cohaerent, *pronominalia,* quae ex radicibus pronominalibus, vel intercedente vel non intercedente stirpe pronominali, prognata sunt, denique *originaria* aliquot et quasi *αὐτοφυῆ*, quae multitudine magnopere superantur a nominum denominativorum quasi sarmentis ac malleolis. Deinde, si nomina verbalia, quae partem longe copiosissimam conficiunt, sigillatim recenseas, eorum conformationem vestigia conjugationum verbalium persequi videbis ac proinde discernendum esse intelliges inter *fundamentalia* (h. e. conjugationis *Qal* vel transitiva vel intransitiva), *intensiva (Piël), extensiva* s. *cau-*

pedum, a v. חָף, detergere, denudare), et a vv. לה: יְהוָה (ens, si haec punctatio originaria est), vel, prolongato imperfecto apocopato: יָעֵל (rupicapra, der Kletterer, a v. עָלָה), יָעֵן struthiocamelus, a v. עָנָה, canere, a lugubri feralique clamore). Creberrima vero sunt nmm. segolata ex imperfectis formata, veluti יֶלֶק (locusta, a v. לַק, lingere), יֶזַע (sudor, a v. זָע, sanscr. स्रु*, manare, destillare), יֶקֶב (lacus, die Kufe, a v. קַב, cavare), יַעַר (עָרָה), יַעֲל (עָלָה), יַעַן (עָנָה) etc.

sativa (*Hif'il*) *et reflexiva* (*Hitpaël*, eaque rursus aramaice triplicia pro conjugationis reflexivae triplicitate: *Itpeël*, *Itpaël*, *Itafal*)[1]. Tertio, si ratione animoque lustras formas istas, quas nomen verbale intra cujuslibet conjugationis spatia percurrit, in quatuor nominum classes incides, quarum unaquaeque pergravis est perque copiosa, *perfectivorum*, *imperfectivorum*, *infinitivorum* et *participialium*. Porro, si rationem habemus additamentorum formativorum, quae ad nomina vel fingenda vel amplificanda extrinsecus accedunt, ultro se offerunt nominum species tres, una eorum, quae adjectis *praefixis* in principio accreverunt, altera eorum, quae additis in fine *affixis* aucta sunt, tertia *mixtorum*, quae tum in initio tum in exitu incrementa ceperunt. Hae species tres rursus dispesci possunt, prout additamenta ista vel *masculina* (*ê, aj, ân, ôn, în, ûn, van, ak, ik* etc.) vel *feminina* (*â, î, û, ô, et*)[2]) vel, cogente comparatione linguarum, pro *neutris* (*as, is, us*) habenda sunt; prout vel ad radices ipsas verbales primariâ conformatione (suffixa *Krit* et *Unâdi* Indorum) vel ad nomina jamjam facta secundariâ conformatione (suffixa *Tadd'ita* Indorum) affiguntur; prout vel *simplicia* sunt vel *composita* (quorum numerus est quidem major in lingua sanscrita, at tamen non exiguus in semiticis); prout sunt

[1]) Conjugationes *Qal* (בנין הקל), *Piël* (בנין הכבד הדגוש) et *Hif'il* (בנין הכבד הנוסף) primariae sunt et propterea a grammaticis veterrimis אבות המלאכה nominantur, ceterae תולדות. Bene *Simson Naqdan* (f. 27, a.), ejus nomenclationis rationem explicans: יען כי הם הפעלים הראשונים והאחרים הנזכרים אחריהם מורכבים מהם

[1]) Systema Linguae Aram. §. 180.

vel *homogenia* vel *heterogenia,* vel *pronominalia* vel *individua,* vel *substantiva* vel *adjectiva,* vel *abstractiva* vel *concretiva* h. e. prout phonetice ad hanc illamve classem pertinent, prout etymologice aliunde derivari aut non derivari possunt, et dynamice in nomine vel immediate ex verbo vel mediate ex alio nomine formato hanc illamve significationis conversionem vi ipsis insita efficiunt. Ecquis est, quin admiratione afficiatur, cum in horum pusillorum et minutulorum quasi atomorum cum nominibus concretionem intuetur, cum libertatem linguae, neque exlegem illam neque mancipatam, spectat, qua haec corpuscula vel affigit vel resecat, vel imminuit vel exaggerat, quae quidem libertas, quemadmodum in arabica lingua, sic etiam in neohebraica paene infinita est[1]); cum denique horum affixorum glomeramina[2]) dupliciter aut etiam tripliciter complicata dissolvit, singulorum affixorum vim latentem ad nominum significatus variandos indagat singulorumque originem involutam, si non certe definire potest, attamen sensu conjecturaque prospicere studet? Ac-

[1]) Considera modo hujuscemodi nominum series: גֶּבֶר, גִּבּוֹר, גְּבוּרָה, גִּבְּרָן, גַּבְרָנִי, גְּבַרְתָּנִי, תִּגְבֹּרֶת, הִתְגַּבְּרוּת; גֶּשֶׁם, גַּשְׁמִי, גִּשְׁמִיִּי, נַגְשְׁמוּת, הַגְשָׁמָה, הִתְגַּשְּׁמוּת etc.

[2]) Huc pertinent terminationes compositae: *ani* (רַבָּנִי), *anut* (רַבָּנוּת, פּוּרְעָנוּת), *îni* (פְּנִינִי), *înut* (קְצִינוּת), *iji* (שְׁמִיִּי), *ijût* (פְּרָטִיּוּת, פְּחִיתִיּוּת), *onî* (קַדְמֹנִי, יִדְּעֹנִי), *tanî* (עַנְוְתָנִי), *tanû* (עַנְוְתָנוּ, σωφρο-σύνη), *anû* (רַבְרְבָנוּ), *ûti* (מְדוּתִי), *ûtiji* (עַצְמוּתִיִּי), *ali* (מַרְגָּלִי = מַרְגָּנִי, מַרְגְּרִי, μαργαρῖτις, sanscr. *mang'ara,* ab adj. *mang'u, mangula,* bellus), *ilî* (כַּרְמְלִי), *van* (מַרְחֶשְׁוָן, הֶשְׁוָן, הֶסְוָן), *vanî* (אַרְגְּוָנִי, נִשְׁתְּוָנִי) etc. Lingua aramaica etiam in hac clausularum nominalium compactione maximis vinculis propinquitatis cum sanscrita conjuncta est.

cedit, quod haec affixa semitica aequalia sunt sanscritis et quod vel in hac specie compositionis, qua et cum nominibus et inter semet ipsa concrescunt, utraque linguarum gens communes cum altera vias persequitur, ita ut, amictu gentilicio exutae, eandem artuum nudatorum figuram lineamentorumque conformationem prae se ferant. O mirabilem plane opificinam linguae humanae, quae non aliter inter Indos atque inter Semitas milliformem dicendi materiam fabricata est, eodem apud utrosque consilio eodemque successu, utpote animae ex eadem divinitate libatae apud utrosque formosissima progenies atque exemplaris ejusdem perfectissimi quam simillima imago!

Longum est, de horum affixorum unoquoque singulorumque potestatibus subtiliter et accurate disserere, exemplis, rationibus similibusque conquisitis; nos, praesertim hujus voluminis angustiis praepediti, satis habemus de sex eorum classibus exponere: quarum quidem inscientiâ grammatici et veteres et neoterici seducti sunt, ut magnam copiam verborum prorsus insolentium nominumque compositorum, qualia hebraica lingua et semiticae in universum respuunt, inconsideratissima tameritate comminiscerentur.

Prima horum affixorum nominalium classis complectitur nomina exeuntia in *Nun*, quod cum quavis vocalium copulari potest: ָן, ֶן, ִין, וֹן (ֹן), וּן (ֻן). Huic terminationum ordini

ăn, ĕn, în, ôn s. *on (ân), ûn* s. *un*

respondent sanscritae: न (cogn. त; divers. ab affixo *Unadi* अन्, hebr. ָן), quo participia praet. pass. et substantiva abstracta formantur (*Krit* et *Tadd'ita*), अन, quo permagna fit substantivorum

abstractorum, appellativorum nominumque agentis multitudo (*Krit*), इन्, quod ad verba additum (*Krit*) adjectiva et nomina agentis, ad nomina additum (*Tadd'ita*) tum substantiva tum adjectiva possessiva efficit[1]). Terminationem *ôn* (*ân*), antiquissimam illam atque ad substantiva et adjectiva promiscue adhiberi solitam, breviter attingo; quae quidem et *Kridanta*, velut לָשׁוֹן, arab. لِسَانٌ, *γ-λώσσα*, lingens, lingua (*der Leck-er*), אָתוֹן, aram. אֲתָן, as-inus (*der Es-el*), et *Tadd'ita* format, velut צִבְעוֹן (צֶבַע), שַׁבָּתוֹן (שַׁבָּת), אַרְגָּמָן, purpura rubra, aram. et arab. אַרְגְּוָן, *arg'avânu* (רְגַם = רְקַם, רִקְמָה, √ רג, v. p. **146.**) etc.; saepiuscule instar *Tanvini* Arabum hebetatur, abjecta liquida, velut אֲבַדֹּה (Prov. **27, 20.** *Ketib*), id quod creberrime in nn. pr. linguae volubilitati adaptatis usuvenit; denique notandum, quod ex ejus affixi variis formis *ôn* et *ân* hebraica lingua magis delectet priori, cum vicissim aramaica et arabica plerumque praeferant alteram, velut שִׁלְטוֹן (dominus, dominatus), aram. שׁוּלְטָן, שָׁלְטָן, arab. سُلْطَانٌ (eadem significationis duplicitate). Eodem modo pro ־ֶן, terminatione per totam linguam pervulgata et nmm. maximam partem segolatis formandis inserviente aramaica lingua scribit ־ָן (*Mil'ra*), arabica ـٌ. Etiam haec terminatio partim ad nmm. secundaria formanda partim ad nmm. ex verbis novanda adhibetur estque tam crebra, ut demirari satis non queas, grammaticos totidem fere vv. adulterina progenuisse,

[1]) Comparationem horum affixorum cum similibus linguarum classicarum dudum instituit *Pottius* l. l. II. p. **570** — 590.

quot nmm. hac terminatione ipsis ignotâ aucta invenirent. Operae pretium est, aliquot exempla eorum nominum componere. Habeto igitur haecce; אֹזֶן (v. denom. הֶאֱזִין), aram. אוּדַן (Trg. Ps. 18, 45.), arab. أُذُنٌ, a n. primit. און, gr. οὖς, lat. *aus-, aur-*, goth. *auso*, latente radice verbali; — אַפֶּדֶן, aram. אַפַּדַן, פַּדַן, unde bene discerni oportet n. פַּדַן, ligo, a v. פַּד, findere, fodere, et n. פַּדַן, planities, a v. פָּדַן, vi distendendi, semel Keritot 6, a.), arx s. palatium concameratum, a v. אָ־פַּד, conjungere, contignare, fornicare (syn. אָגַד in n. אֲגֻדָּה, אָלַם in n. אַלְמֹן Jes. 13, 22., שָׁבַךְ in n. neohebr. et samar. שׁוֹבֶךְ, turris, deinde columbarium, arab. eadem significationis progressione بُرْجٌ, πύργος); — אֹפֶן, circuitus, rota, arab. إِفَّانٌ (periodus, tempus, *Abulwalid*), a v. אַף = אָף, סַב, circulare, cingere; — אֹרֶן, aram. אוּרַן, אֹרַן, ornus (*Hagbuche, Waldesche*), a v. אַר = עָר־ה virere; — בֹּשֶׁן (בָּשְׁנָה, formatum plane sicut sanscr. *svap-na*, somnus, syn. בֹּשֶׁת, quae forma, utpote radice pronominali consimili oriunda, alterius vicaria est, quemadmodum sanscrite vicissim ponuntur formae *b'â-nu* et *b'â-tu* earumque similes), pallor, pudor, a v. בש = בָּץ, albefieri, expallescere (v. p. 143.); — גַּרְזֶן (*Mil'ra*), ascia (conf. clausulas graec. ἄνο et ἄνη in nmm. instrumentorum, velut δρέπ-ανον, ἐψ-άνη), a. v. גָּ־רז, ῥήσ-σειν; — גֶּפֶן, aram. גוּפַן, a v. גַּף = כַּף, incurvare (quod ipsum de vitis radicibus dicitur Trg. Ez. 17, 7. גוּפְנָא הֲדָא כַּפַּת שָׁרְשׁוֹהִי עֲלוֹהִי) — גֹּרֶן, area, horreum, a v. גַּר, ἀ-γείρ-ειν, colligere; — חֹסֶן, aram. חוּסַן, possessio, facultas, potentia, e n. prim. חס ad s. f. עֹז, a v. חם =

אָ־חַז, apprehendere, usucapere; — חֹפֶן (v. denom. חִפֵּן = حَفَنَ), aram. חוּפְנָא, arab. حَفْنَةٌ, sicut neoh. חָפְנִית, pugillus, e n. prim. חֹף (*Höhlung, Bucht*), a v. חַף = כַּף, cavare, cavum esse, pers. كاويدن; — חֹצֶן (חֵצֶן), arab. حِضْنٌ (unde v. denom. حَضَنَ, ulnis complecti s. portare), a v. חָץ, incidere; — חֹשֶׁן, insigne, decus, de pectorali summi sacerdotis, a v. חָשׁ, splendere (v. p. 148 s.); — סֶרֶן, princeps, de Philistaeorum lucumonibus, formâ, ut quidem mihi videtur, philistaeâ pro שַׂר, cf. מַלְכֹּם et מֶלֶךְ, מֹלֶכֶת et מַלְכָּה, more phoenicio [1]), non translatione desumta a n. סֶרֶן, aram. סַרְנָא, axis, quod eodem modo a v. סַר = צַר (צִיר) conformatum est; — צִפֹּרֶן, aram. et arab., abjecta terminatione, טוּפְרָא, ظُفْرٌ, unguis, stylus, a v. צָ־פַר (טְ־פַר), rad. פָּר, for-are, fodere; — תֹּרֶן, Pinus Cembra, *στρόβιλος* (*die Zirbelnusskiefer*), aram. תּוּרְנִי, deinde malus vel contus, aram. תּוּרְנָא propter stirpium procerarum ejus arboris usum, a v. תָּר = תָּאַר (unde תֹּאַר, gem. תּוֹרִי), formosum s. procerum esse. Rarior est terminatio *în*, velut בּוּצִין, lucerna (a v. בָּץ, lucere, v. p. 143.) vel cucumis (a v. בָּץ = בָּע, tumescere), פְּנִין (*f.* n. pr. פְּנִנָּה), margarita, conchea bacca maris, nitida illa ac pretiosa (A. semel: *περίβλεπτα*), a v. פָּנָ־ה, *φαίν-ειν*; תַּנִּין (תַּנִּים, Ez. 29, 3., non per errorem, sed phonetica mutatione), cete, bellua marina s. aquatilis, corpore protensa vastaeque molis (a v. תַּן, vel possess. a n. תַּן, talm. טַן = sanscr.

[1]) Gesenius, Monumenta p. 439. N. pr. סרגד (princeps fortunae) legitur in gemma n. LXVII., סראסר (princeps Osiridis) in scarabaeo n. LXVIII.

tanu, corpus, ad s. f. *dant-in*, dentatus h. e. elephas, *kês'-in* pilosus, sicut קֵוָץ a קְוֻצָּה = *kês'a*, h. e. leo, propter jubarum comantium luxuriem, ita ut în sit *Tadd'ita*); interdum haec terminatio, quemadmodum gr. *ινη* (*ἀξ-ίνη*, vag-ina) adhibetur ad instrumenta denotanda, e. c. חֲצִין, ascia (a v. חָץ, findere), לָגִין (lag-ena, lac-una), hydria, a v. לָג (לֹג), *λακ-εῖν*, *λακ-ίζειν*, *λαχ-αίνειν*; שַׂכִּין (Prov. 23, 2.), סַכִּין, arab. سِكِّينٌ, culter (a v. inus. סַךְ = חָ־סַךְ, חָ־שַׂךְ, כָּ־סַח, *sec*-are). Rarissima est terminatio *un*, sed tamen tot exemplis confirmata, ut legum semitismi ignaros ac rudes haberi oporteat eos, qui n. אַתּוּן, fornax (h. e. *αἴϑ-ων*, a v. אַת = אֵשׁ, v. p. 157.) compositum esse opinantur. Similiter orta sunt nmm. aram. אִרְעוּן (Trg. *Qohelet*), *συγκύρημα*, a v. אֲרַע = עֲרַע, hebr. קָרָא, קָרָה, *κυρ-εῖν*; רֵיקָנוּן, vacuitas (a n. רֵיק, רֵיקָן, addito un *Tadd'ita* ad n. *kridanticum*), arab. مَنْجَنُونٌ = *μάγγαν-ον*, mangon-ium, et hebr. אִישׁוֹן, homunculus, pupilla, meditullium (correpto n. אִישׁ, uti in nn. pr. אֶשְׁבַּעַל = אִישׁ־בֹּשֶׁת = אַשְׁבֵּל et constanter in monumentis *Citiensibus*[1]), quo in nomine (Ketib pro אִישׁוֹן) terminatio *ûn* non per semet ipsam diminutiva est, sed aliquid hominis simile eoque proinde minus (v. s. שַׂהֲרוֹן, צַוָּרוֹן) significat.

Secundam classem nominum affixis nominalibus auctorum conficiunt ea, quorum extrema litera est *Mem*, rursus cum quavis vocalium conjuncta. Hanc terminationum seriem

âm, em (am, êm), îm, ôm (um)

[1]) Gesenius, Monumenta p. 347, a.

quae ad multa nmm. explicanda maximi momenti ac ponderis est, grammatici usque ad nostram memoriam prorsus intactam reliquerunt. Raro huic affixo respondet *Unadi* sanscritum म, quo nonnulla substantiva et adjectiva formantur, velut भाम (भाः), lux, भीम (भी), terribilis; siquidem eadem plane ratione exstiterunt בָּם (f. בָּמָה), ascensio, locus elatus (cf. ܒܶܡܐ, neoh. בִּימָה, jud. arab. المِنْبَر = βῆμα; בָּמָם = βῶμος); פּוּם (aram. = פֶּה hebr., a v. פָּה, arab. فَمٌ, فِمٌ, فُمٌ, v. p. 159.); פְּנִים, quod ego neque cum *Gesenio* ex plurali פָּנִים correptum neque cum *Fuerstio* ex v. פָּנַם, quasi radicis פַּן (צָ־פַן) propagine, ortum dixerim, sed factum est potius a v. פָּנָה, quod cum v. भा, *φαί-ν-ειν* unum idemque esse ipse Fuerstius luculente demonstravit, ita ut significet *τὰ ἐνώπια* (opp. חוּץ, *τὰ προνώπια*). Huc etiam pertinent reliquiae veteris accusativi adverbialis *(am, om)*, quas hebraica lingua servavit[1]), inter quas commemoratione dignissimum est adv. טֶרֶם (archaice: טְרוֹם, Rut 3, 14.), quod Gesenius cum quodam v. arabico صَرَمَ, resecare, improspere nimirum,

[1]) Notum est, linguam sanscritam notâ accusativi म् liberrime uti ad adverbia ex adjectivis, rarius ex subst. facienda, atque etiam arabicam, quae prae ceteris linguis semiticis declinatione gaudet, formam accusativam ad adverbia ex nmm. raroque etiam ex radd. pronominalibus (مَعًا, sicut hebr. שָׁם, هَلُمَّ = הֲלֹם) formanda adhibere, v. c. नक्तम्, arab. لَيْلًا, noctu (*Ewald*, Gramm. Arabica §. 467. 475.)

compegit. Quis comparationi analyticae tantopere infensus atque inimicus est, quin concedat, radicem ejus adverbii esse טָר (נָ־טַר), sanscr. त्रा, त्रै (quod plane eodem modo, quo hebraici verbi composita, usurpatur), gr. *τηρ-εῖν*, lat. tueri (intueri, contueri), unde טֶרֶם factum est ad similitudinem Gerundii sanscriti in अम् exeuntis (Bopp, Gramm. brev. §. 570.), ita ut sit: exspectanter, speranter; quare per archaismum poeticum cum accusativo verbi sui (Jes. 28, 4.) aut cum nomine actionis vicem accusativi nominalis tenente (Zef. 2, 2. Hag. 2, 15.), plerumque vero cum imperfecto (Gen. 2, 5. טֶרֶם יִהְיֶה h. e. cum adhuc exspectandum esset, ut fieret), raro cum praeterito (Ps. 90, 2. Prov. 8, 25.), obliterato etymo, construitur. Terminatio *em* vel ad suffixa *Krit* vel ad *Tadd'ita* pertinet, prout nomina, ad quae accessit, vel ex radicibus verbalibus vel e stirpibus nominalibus originem habent. Quot horum nominum lingua hebraica exhibet, totidem vv. fictitiorum foetus grammatici fuderunt. Exhibet vero multa, ex quorum copia haecce delegi, quibus de ejus terminationis *segolatae* existentia ac virtute ad veritatem persuaderi poteris: גֶּשֶׁם s. גֹּשֶׁם (v. den. neohebr. גָּשַׁם, pluere), pluvia, a v. גָּשׁ, fluere, fundere *(giessen)*, div. a n. גֶּ־שֶׁם, aram. גּוּשַׁם, *σῶμα*; — כֶּרֶם (e n. prim. כַּר, ager), vinea, aram. כְּרַם, a v. כָּר = אֶ־כַר (אִכָּר), fodere, arare, vel, ut *Fuerstio* praeplacet, a v. כַּר (כִּכָּר = כִּרְכָּר), *curr-ere, γυρ-εύειν, (umlaufen, umgrenzen)*, minime vero a v. כָּרַם, quod ipsum ex nomine initium ducit (v. Sabat 88, b.); — לֶחֶם (e n. primit. לֵחַ), panis, cibus succosus et alibilis, quippe qui succum et vires corpori impertit, aram. לְחַם, a v. לַח, humidum, riguum, succulentum

esse; — רֶשֶׁם, n. gemmae, κέγχρος (Targ.), a v. לֵשׁ = לֵץ, lucere, de quo v. p. 147, s.; — נֶזֶם, annulus, monile, a v. נָז, nec-tere (v. Isaaki ad Lev. 19, 19. שע־ט־נז); — עֶלֶם (v. denom. arab. غَلِمَ, prurire, pubere), juvenis, aram. עֲלֵים, arab. غُلَامٌ, غُلَيْمٌ, a v. עָל (עול, עֲוִיל), *al*-ere, intr., riguum, vegetum, adultum esse, de vigente primae juventae flore; — צֶלֶם (e n. primit. צֵל), σκιαγράφημα, adumbratio (*Schattenriss*, *Umriss*, *Schemen*), aram. צְלֵם, צלם, צַלְמָן; — תֶּלֶם (e n. prim. תֵּל), sulci agger s. culmen (div. a מַעֲנִית, ipse sulcus s. porca), aram. תְּלַם, a v. תַּל, tollere, aggerere. — De quorum nominum nonnullis incertum est, utrum intercedente verbo per nasalem additum prolongato, an ex ipsa radice verbi, mediâ nullâ radice verbali, orta sint. Conspicua est enim eadem in verbo, quae in nomine, propagationis ratio; quod cum ita sit, cavendum est tamen, ne aut verba denominativa pro stirpibus verbalibus ex radice propagatis habeas aut ad nnm. ejusmodi illustranda verba excogites, a quibus lingua hebraica atque adeo semitismus universus abhorret. Terminationis *om*, quae inflexione nominis in u m, dagesata nasali, transit, exempla sunto haecce nomina: בְּרוֹם (pl. בְּרוֹמִים Ez. 27, 24.), vestis variegata ac pretiosa (arab. مُبْرَمٌ, ut jam *Josef Qimchi* observat; بَرِيمٌ, filum discolor), a rad. בַּר, sanscr. *war-naj* (*war-na*), lat. *var*-iare; — דָּרוֹם (unde neoh. דָּרוֹמִי, הִדְרִים), meridies, a v. דַּר, lucere, v. p. 151, s.; — חַרְטֹם (e n. pr. חֶרֶט, stylus, pl. חַרְטֻמִּים), ἱερογλύπτης, ἱερογραμματεύς, a v. חָרַט, χαράττ-ειν (neoh. חרטם = חֹטֶם, rostrum,

nasus prolongatus); — כַּרְכֹּם (v. denom. neoh. כִּרְכֵּם), aram. כּוּרְכָּם, כַּרְקוּם (div. a כַּרְקוּם = *χαράκ-ωμα*), arab. كُرْكُم, sanscr. *kank-om, kunk-uma*, a rad. *kark, kank*, gr. *κρόκ-ος*; — סְדוֹם (a n. primit. סִיד, v. סָד = זָר, *sie-den*, denom. סָד, סַיֵּד), n. pr. urbis divino supplicio deletae in extremitate lacus asphaltitis australi, quae a soli natura calcaria nomen accepit; — עֵירֹם (עֵרֹם, עָרוֹם, מַעֲרֹם, pl. —*umim*), nudus, a v. עָר (= עָרָה, גַּר, גָּרַע), privare, nudare, div. ab עָרוּם, callidus, cujus radix est עָ־רַם; — פִּדְיוֹם (Num. 3, 49.), *λύτρον*, a v. פָּדָה, solvere, dirimere; — קַרְדֹּם, securis, ascia, a v. קָרַד = כָּרַת, concidere. — Pro *ôm* concludente nonnullis in nnm. iisque paucioribus invenitur *âm*, velut סָלְעָם, locusta vorax, a v. סָ־לַע, deglutire, absorbere, helluari (unde targ. סַלְעֵם, v. quadril. eodem modo, quo nomen, formatum, et nn. deriv. סַלְעֲמִי s. סַלְעֲמוּ) et פִּתְגָּם (quocum complures persica پیغام, پیغم, پیام, repugnante vocabuli et forma et usu targumico, contulerunt), edictum, verbum, res, a n. prim. פֶּתֶג (פְּטַק, פְּתַק), cui subest stirps verbalis פָּ־תַג, rad. दिश् (cum praep. *upa:* monstrare, docere), gr. *δεικ-νύναι*, lat. *dic*-ere.

Tertia nominum affixis auctorum series desinit in *Rês*, quod et ipsum quamvis vocalium assumere potest,

ar, er, îr, or, ûr

eaque assumta vel nomini primitivo vel stirpi verbali ad nomen novandum adjicitur. Congruunt nnm. sanscrita exeuntia in र, एर, उर, ओर (Pott. II. p. 468 ss.), quae uti hebraica, vel primaria vel secun-

daria sunt, et saepenumero *r* cerebrale cum *l* dentali sine significationis discrepantia commutant, id quod saepius etiam fit in nmm. indoclassicis, quae idioma talmudicum mutua sumsit. Nomina *ĕr* jam p. 159. strictim attigi; quae quidem perpauca sunt, velut נֶשֶׁר (aquila, a v. נָשׁ = נָץ, volare, unde נֵץ, accipiter); פֶּגֶר, cadaver, a v. פָּג, languescere, exanimem esse, aram., vulgari formae segolatae mutatione, פִּגַר, נִשַׁר, arab. نَسْرٌ [1]), et instar sanscritorum *dîp-ra* (luminosus), *hins-ra* (necandi cupidus, sanguinolentus), *kêça-ra* (capillamentum, de fibris loti aut juba leonis), conformata. Ceterarum hujus classis terminationum exempla sunt nmm. סְמָדַר (nempe ex סמם et ܗܕܪ, ut Gesenius ait, non conflatum) flos vitium vel potius, ut traditio uno consensu testatur, *οἰνάνθη*, h. e., primum uvae germen, quod cum pampino simul gemmam novam leniterque tumescentem in flore complectitur (*die Trageknospe*), quod uvae progemmantis oculum quasi inter florem et omphacem medium continet (סמדר בין לבלוב לבוסר, quare *Orla* I, f. 79, a. recte quidam argumentatur: סמדר אסור מפני שהוא פרי), a v. סָ־מַד (cogn. חָ־מַד), expetendum, jucundum, suavem esse ad simil. nmm. sanscritorum: *tandul-êra*, species amaranthi; *kund-ura* (*kund-uru*), resina Boswelliae thuriferae; *çamîra*, species Mimosae Sumae; — צַנְתָּר

[1]) Aboda zara f. 11, 6. נִשְׁרָא שֶׁבַּעֲרָבְיָא, Aquila, idolum Homeritarum, v. *Aruk* נשר 3., quocum consentit *Qamûs:* النسر الصنم كان لذى الكلا بارض حمير Lexicographi arabum, nomen aquilae concordissime a v. نَسَرَ, vellicare, (talm. נְסַר) deducunt (*G'auhari*: لانه ينسر الشى ويقتلعه).

(צִנְתָּר), canalis, fistula, a v. צָ־נַת, concavum, perforatum esse (gr. νηδ-ύς = κοιλία); — כַּפְתֹּר (e n. prim. כֶּפֶת). coralla s. capitulum columnam cingens s. circumligans, σφαιρωτήρ, a v. כָּ־פַת, circumligare (*umbinden*); — עַכְבָּר (עַכְבּוֹר), animalculum corrodens, aram. עַכְבַּר, arab. عَكْبَر (mus jaculus), a. v. עָכַב, quasi concavare, perforare, rodere, non comp. ex עָכַל et בַּר, tanquam agros consumens, uti legibus linguae posthabitis, fingit Bochartus; — צִפּוֹר, oscen, avis, aram. צִפַּר, צִפְּרָא, צִפּוֹרָא (צִפֹּרֶת הַכְּרָמִים, Scarabaeus auratus, cujus alae splendore aureo et hyalino coruscant [1]), spec. passer (arab. عَصْفُور), a v. צַף (צִפְצֵף), minurire, fringultire; — סְנַפִּיר (e n. primit. סָנָף = זָנָב), pinna, πτερύγιον, a v. סָ־נַף = זָ־נַב, rad. נָף, agitare, vibrare [2]).

Quartum genus nmm. secundariorum concluditur liquidâ *Lamed*, quae, adscitis vocalium varietatibus, constituit terminationes:

al, el (ĭll), îl, ol (ŭll), ûl

in quibus *Lamed* extremum ad similitudinem terminationum, quae respondent, indogermanicarum, cum nomen flectitur, plerumque (nec tamen semper) acui solet. Congruunt suffixa sanscrita *Kṛidantorum:*

[1]) Hunc scarabaeum ex traditionis testimonio intelligendum puto Job. 40, 29., ubi vertendum est: *ludesne cum eo uti cum scarabaeo, quem joculari licentia puellarum tuarum vestibus appendis?*

[2]) Omitto, ut par est, hic et deinceps, nmm. ea, quorum terminatio est extrema radicis litera, adjunctâ vocali repetita, velut שַׁפְרִיר(שַׁפְרוּר), צַפְרִיר, פָּארוּר, סַגְרִיר, כַּמְרִיר, זַרְזִיר, שַׁעֲרוּר בְּצַלְצוּל (cepula), הֲתָלוּל (terriculamentum, *die Vogelscheuche*), הוּבְלִיל (intestinum rectum) etc. etc.

ala, âlu, ila, ula, et *Tadd'itorum* haecce: *la, lu, ila, îla;* quid quod nonnulla nmm. aeque sanscrita ac semitica inveniuntur, quae suffixis ejusmodi consentienter aucta sunt, e. c. כַּרְמִיל (2 Paral., ter), color coccineus, vermiculus (*Wurmfarbe*, gall. *cramoisi*), pers. کرمال, cf. sanscr. *krimila* (having worms), e n. primit. *krimi*, pers. کرم, hebr. כְּרוּם, vermis (ex sententia veterum aliquot interpretum Ps. 12, 9., gemar. עִנְּבֵי דִכְרוּם, uvae vermiculosae, Mecia 106, b.); גָּמָל (גְּמַלִּים), camelus, sanscr. kramêla √ क्रम् = गम्, ire, incedere); מַרְגָּל (targ., talm. et neohebr.) margarita, sanscr. *mang'ara*, cf. *mang'ula* (beautiful); קַפָּל, קוּפְלָא, capitellum, sanscr. *kapâla*, *κεφαλή*, cujus n. prim. כֵּף (spec. *die Felsenkuppe*) lingua hebraica conservavit (Job. 30, 6., Jerem. 4, 29.). Manifeste apparet, has terminationes sat multis in nmm. diminutivas, caritativas s. *ὑποκοριστικάς* esse et id, quod parvum, tenerum, bellum s. pulchellum est, depingere, plane sicuti in nmm. linguarum classicarum, velut *ἑρπύλη, ἑρπήλη, ἑρπίλλα, ἑρπύλλη, ἑρπυλλίς* (√ *ἑρπ*, lat. *serp-ula*, sanscr. n. prim. *sarpa*, serpens), *μειρακ-ύλλιον, φθίν-υλλα, πέδ-ιλον*; *as-ellus, aure-olus, puer-ulus, tocu-llion, umbra-culum* etc.[1]). Quae quidem nmm.

[1]) De terminatione diminut. *aka* s. *ka* (pers. ك, Wilken p. 86.), quae hac vi tantummodo in nmm. non mere semiticis, sed peregrinis vel indicis vel persicis exstat, vide Concordd. s. n. גַּנְזַךְ. Ceterum in exemplis, quae subjeci, omisi multa nmm. talmudica, quae, cum semitica esse possint, tamen ex linguis classicis desumta videntur, velut אַקְסַל, סִיגַל, סַקְלָא, פַּרְגִיל, קַפֵּל (*κύπ-ελλον*) etc., quorum plura invenies in libris *Davidis de Lara* (עִיר דוד) et *Bondiorum* (אור אסתר).

diminutivorum conformatio semitismi antiquissimi propria in recentiori adeo intercidit, ut arabica lingua plane novam viam ad diminutiva efficienda excogitaret, constantem illam vocalium intra stirpem mutationem, qua infinitâ cum libertate utitur. Sed vis diminutiva non est sola, quae in nn. appendiculis istis formata apte quadret; interdum vicissitudo significationis, quae accessu terminationis efficitur, tam subtilis et occulta est, ut definiri plane non queat. Lingua hebraica ex ejus terminationis variis formis formam *el* prae ceteris amat ac proinde nmm. novata, si trilitera sunt, *segolatorum* veste induit, si plurilitera sunt, ultimam eorum syllabam *ὀξυτονεῖ*, e. c. אֶרְאֶל (Jes. 33, 7., pl. gemar. אֶרְאֶלִּים), heros, n. vel unitatis vel unionis (*Held, Heldenthum*), a v. אָרָא (unde etiam אֲרִי, n. leonis, quem Gesenius a carpendo dictum arbitratur), fortem, *ἀρήϊον* esse (v. Pott I. p. 221.); — אֶשֶׁל (LXX. *ἄρουρα*, S. A. ex talmud. אֵשֶׁל = אִילָן: *δένδρον*, *φυτεία*), Tamarix orientalis, arab. أَثْل e n. prim. אַשׁ = עֵץ, √ אַשׁ = עָץ, firmum, solidum esse; — דֶּקֶל (f. n. pr. דִּקְלָה), aram. דְּקַל, דּוּקַל, arab. دَقَل, *δάκτυλος φοίνιξ*, cujus fructus dactyli nominantur, ital. *dattoli*, hisp. *datiles*, e n. prim. דַּק, √ דַּק, subtilem, tenuem, procerum esse (cf. הַדֶּקֶל p. 56.); — חֲבַצֶּלֶת (m. חֲבַצֶּל), Colchicum auctumnale, a v. חָבַץ = חָמַץ (syr. ܚܡܨܠܝܢ, idem), claro s. lucido colore esse; — כַּרְמֶל (c. s. כַּרְמִלּוֹ), regio amoena ac fructifera, hortus et metonym. fruges hortenses, e n. secund. כֶּרֶם, n. prim. כַּר, de quibus jam diximus; — סֶמֶל, graphis, simulacrum adumbratum s. delineatum, e n. prim. סֵם = שֵׁם, *σῆμ-α*, lineamentum, √ סָם, prolong. סָמַן, *σημ-*

αἰν-ειν; — סֵפֶל (pl. neoh. סְפָלִים, targ. סִפְלֵי), pelvis parva, simpulum, e n. prim. סַף, pelvis, √ סַף = אָ־סַף, capere, neutiquam a v. סָפַל, humilem esse, uti vult Gesenius; — עֲרָפֶל (*Mil'ra*), caligo tenuis, „dubiae crepuscula noctis," a v. עָ־רַף = עָ־רַב, simpl. רְפָא, tenebricosum, obnubilatum esse (v. p. 102.), minime comp. ex עָרִיף, nubes, et אָפֵל, obscurum esse, ut Gesenio videtur. In nmm. pluriliteris terminationi *el* praefertur *al*, velut אֲגַרְטָל (= גַּרְטַל, cum *Alef* prosthetico), trulla excavata, vasculum coelatum, a v. גָּרַט = חָרַט (unde חָרִיט, خَرِيطَةٌ, marsupium, crumena), hellen. indidem et cum eadem terminatione *κάρτ-αλος, κάρτ-αλλος*, neoh. et aram. קַרְטֶל, קַרְטִיל, קַרְטִלֵי; — חֲנָמַל, lapis, grando major, e n. prim. חָנָם = חָמָן, sanscr. *açman*, litt. *akmen*, slav. *kamen* (Trg. ex veteri traditione: locusta, eruca, a v. חָנַם = כָּנַם, unde כְּנִימָה, talm., vermiculus fructuum et leguminum); — חַשְׁמַל (pl. neoh. חַשְׁמַלִּים), ens splendidum, deinde aes splendidum s. aurichalcum, a v. חָשַׁם (חָשׁ), splendere, de quo v. p. 148. s. Quae nmm. paene omnia adhuc pro compositis venierunt. Interdum pro brevi et acuto *Fatah* terminationis scribitur *Qamez*, longum illud et quasi reduplicationem literae *Lamed* in flectendo nomine recompensans, e. c. גּוֹזָל (pl. c. s. גּוֹזָלָיו), avis parvulus, volucris tener (*das flücke Vöglein*), *νεοσσός*, a v. גָּז = חָשׁ, עָז, عَاذَ, fugere, volare; גּוֹרָל, lapillus, calculus, hinc de sorte, e n. pr. גּוֹר = גַּר, גַּרְגַּר, גֵּרָה, √ גָּר s. גַּר, unde arab. جَرْلٌ, glarea, *χλαρόν*; جَرَلٌ, locus glareosus. Forma *ăl* pro hebraico *ĕl* pervulgatissima est in sermone aramaico, e. c. טְפַל (pl. neoh.

טְפָלִים, Batra 118, a. ar. أَطْفَال), parvulus, e n. pr. טַף (ad quod reddendum targumice usurpatur), √ טַף, v. onomatop. *(tappen, trippeln)*; — נֵרְגַל, idolum Cutaeorum (2 Reg. 17, 30.), quod figuram galli habuisse dicitur (= תַּרְנְגוֹל Sanhedrin 63, b.), a n. pr. נֵרֶג, aram. נִירַג, zab. נְרִיגִי, uti jam Gesenius egregie observavit; — עַרְסַל (אַרְזַל, עַרְזִיל, a n. prim. עֲרַם = עֶרֶשׂ *(das Tragbett, die Hangematte)*, nonnunquam addito signo feminino et obliterata hoc modo terminatione diminutiva, velut אַרְמְלָא, vidua, muliercula vivens sine conjuge coelebs, a v. אֲרַם = חָרַם, √ רם, *ἔ-ρημ-ον εἶναι*[1]), plane quemadmodum hebraice עָרְלָה, pellicula, praeputium, a m. עֹרֶל, sicut aram. עוּרְלָא, עוּרְלָא a m. עוּרַל, e n. prim. עוֹר, pellis, cutis, et בְּתוּלָה, filiola, puella, virgo tenera et illibata, a forma primaria בְּתוּל, e n. prim. בַּת, nullo modo a v. בָּתַל, ut ad hunc usque diem grammatici blaterarunt. Terminationem *îl* exhibet n. פְּתִיגִיל, pallium amplum, a v. פָּתַג = פָּתַח, פָּתָה, pat-ere, amplum esse, neutiquam, ut Gemara obscoene ineptit, ex פֶּתַח גִּיל compositum, eademque ratione conficta sunt nmm. aramaica הוּרְפִּיל, nutus, e n. prim. הוּרַף = הֶרֶף, ictus oculi; נַרְגִּיל, ramulus abscissus, surculus palmae (דקלא דהד נברא, Erubin 58, a.), a n. prim. נְרַג, securis; עוּרְפִּיל, pluvia tenuis, a n. prim. עוּרַף, √ עָ־רַף (רָוָה, רָעַף), stillare, irrigare; פַּרְכִּיל, de quo v. p. 73 infra, אוּרְזִיל, בַּרְזִיל (בַּרְזִיל), עַרְטִיל, פַּצְעִיל, etc. Exempla terminationis *ol* *(ŭll)* et *ûl* non diu quaerere opus est; sponte se offerunt, velut

[1]) Hanc radicem sanscrito-semiticam agnoscit jam Midras veterrimus, cum dicit de nomine *Jeremiae:* למה נקרא שמו ירמיהו שבימיו נעשת ירושלים אירימיה (Qohelet Raba f. 1, b.).

אֶשְׁכֹּל, botrus, racemus (*Traubengebinde*), neohebr. trop. de homine, in quo virtutes omnes instar baccarum in racemo junctae videntur (midrasice: איש שהכל בו, Temura 15, b.), talm. אֶשְׁכֹּל שֶׁל־בֵּיצִים, ovulorum pusillorum in utero gallinae ex semine maris conglobatorum quasi contextus (opp. שְׁלַל שֶׁל בֵּיצִים, quo nomine ovorum majorum et jamjam maturescentium quasi sarcimen vocatur, Bêza 7, a.), e n. prim. אֶשֶׁךְ, plexûs, spec. scrotum cum coleis, a v. אָ־שַׁךְ (שָׁךְ), connectere, colligare, complicare; — גְּבִעֹל, *καλύκιον* (*Blüthenkelch*), a n. prim. גֶּבַע, scyphus, a v. גָּבַע, gr. *σκυφ*, *κυφ* (*κύπελλον*), cavum esse; — חַרְגֹּל, species locustae, *ἀσίρακος*, e n. pr. חֶרֶג, a v. הָ־רַג, salire (حَرْجَلَ, v. denom., exsultare, de locustis et equis); — קַרְסֹל (קַרְסֻלַּיִם), talus, malleolus (*Gelenkchen*, *Knöchel*), e n. prim. קֶרֶם, a v. קָ־רַם, concidere, se incurvare; שְׂמֹאל, laevus, sinister, aram. שְׂמָאל, סְמָל, e n. primit. שָׁם, arab. شَامَ, شَأْمَ, ad s. f. sanscritae: *çajâlu*, somnolentus, *sançajâlu*, dubius; — טְחֹל (טְחַל) aram., lien, splen, a v. טָח, allinere, adiposum esse; — נַחְשֹׁל, procella, (נַחְשׁוּלוֹהִי דְיַמָּא, tempestates maritimae, Joma 2, 4.), a v. נָ־חַשׁ = לָ־חַשׁ, fremere, stridere (*pfeifen, sausen*). Terminationem *ûl* habes in hebraico חָרוּל (pl. חֲרֻלִים, aram. הוּרַל), urtica, a v. חָר, urere, in neohebraico חָתוּל (חַתּוּל), felis, lat. *cattus*, germ. *chazza*, gall. *chat*, et in aramaico עִנְבּוּל (אִמְבּוּל, עִנְבָּל), ropalum tintinnabuli, a v. עֲנַב, annectere.

Quinta classi nmm. secundariorum complector quotquot terminationibus in sibilum exeuntibus aucta sunt (שׁ, rarius ס vel ז); qui quidem sibilus cum

suis vocalibus copulatus hanc affixorum nominalium seriem conficit:

ash (âs, az), ĕsh, êsh, îsh (îs), ôsh (os).

Lingua sanscrita consentaneas habet *Kridantorum* neutralium terminationes: *as, is, us,* quorum in similibus classicis sibilus radicalis affixi declinatione saepenumero commutatur [1]), id quod in hebraicis et in universum semiticis id genus nominibus fieri nequit, praesertim cum prope omnia nonnisi singulariter et sine suffixis personalibus usitata sint. Ad significationem harum clausularum quod attinet, primum adhibentur ad denotanda animalia, plantas et lapides, quibus habitualiter et characteristice inest actio s. qualitas radice verbali significata, e. c. עַכָּבִישׁ, aranea, quae leve deserta sub trabe nectit opus, pede gracili filum deducens, aram. עַכּוּבִי, עַכּוּבִי (abjecto sibilo, fere sicut sanscrito *as* respondet zendicum *ô*), arab. عَنْكَبُوتٌ, e n. prim. עַכָּב, textor, a v. comp. עָכַב (simpl. קָוָה, unde קָו, filum), contorquere, texere, nere; — פַּרְעֹשׁ, pulex, a v.

[1]) Magna est nmm. talium ex linguis sanscriticis in linguam Judaeorum sequiorem translatorum multitudo, quorum terminatio nominativa immutabilis per omnes flexiones et vel in derivatis permanet, inversa linguarum, unde mutuo sumta sunt, consuetudine, velut לְבַם (*Tanchum* apud Pococke, Porta Mosis p. 406.), לְפַם, אִלְפַּם (pl. לַפְּסִין, אִלְפְּסִין), פּוּלְמוּם (pl. פּוּלְמוּסִין), *πόλεμος*; קוּלְמוּם (pl. קוּלְמוּסִין), *κάλαμος*; קַפְּרִים (pl. קַפְּרִיסִין), *κάππαρις*; קַתְרוּם (pl. קַתְרוּסִין), *κίθαρις*. Raro terminatio abjicitur et signo numeri pluralis cedit, uti פַּלְקִים, *πέλεκυς*, pl. פִּילְקִין; plerumque omnis vocabuli flexio evitatur, sicut in nmm. נַרְקַם, פַּלְגוּם, קַדְרוּם, קְלֵוְסִים (*κέλευσις*), קַנְבוּם et innumeris aliis.

פְּרַע, de quo v. p. 74.; בְּרוֹשׁ, בְּרוֹת, abies, aram. בְּרָת, pl. בְּרָן, ex quo formam בְּרוֹ primariam fuisse conspicitur; — גַּלְמִישׁ (גְּלְמִישׁ), unum de decem generibus cedrorum, quae Rosh ha-Shana 23, a. recensentur, a v. גָּלַם, glomerare, magna indigestaque mole esse; — אֶלְגָּבִישׁ (c. articulo pleniori, qui in lingua hebraica superstes est), glacies, deinde, vulgari translatione, crystallus, a v. גָּבַב, coacervare, coarctare; — חַלָּמִישׁ (e n. prim. חֵלֶם), lapis durus (Glossa: צור החזק, צור התקיף), silex, a v. חָלַם (unde et אַחְלָמָה, amethystus), firmum, durum esse. Deinde usitata est haec terminatio de instrumentis actioni ei, quam verbum subjectum exprimit, inservientibus, velut אַרְגָּז (e n. prim. אֶרֶג = אַרְגָּ), arca, ex sententia Pottii a rad. *raks*, arc-ere, servare, tueri; — דַּרְגָּשׁ (targ. et talm.), lectulus (div. a n. מִטָּה, v. j. Berakot f. 5, d. Cracov.), e n. pr. דֶּרֶג (scala), a v. דָּרַג, ascendere, cubitum ire; — חֶרְמֵשׁ (= חֶרְמִישׁ, e. n. prim. חֵרֶם), falx messoria, a v. חָרַם, desecare, abscindere (prt. חָרוּם, *κολοβόῤῥις*); — כּוּמָז, sera, ornamenti muliebris species (Sabat 64, a., addito absurdo Notarico: כומז זה דפוס בית הרחם), a rad. כָּם, sanscr. यम् (refrenare, cohibere); — נֶבְרְשָׁא (masc. נֶבְרַשׁ), neoh. נִבְרֶשֶׁת, arab. نِبْرَاسٌ, lucerna, candelabrum, a v. נ־בר simpl. בָּהַר), lucere, sicut עֲשָׁשִׁית, a v. עָשַׁשׁ (עשת) et *can-d-ela*, a rad. *can* (בָּ־הַן, שָׁ־חַן, זָ־קַן, קִנֵּא), minime a v. אִתְנַבְרֵשׁ (quod ipsum denominativum et neutiquam, ut Gesenius vult, ex נִבַר = נור et אֵשׁ compositum est). Interdum nn. pr. masculina format eaque vel *Kridanta*, velut נִבְחַז, latrator, idolum canis latrantis figuram habens (Sanhedrin 63, b.) apud Avaeos (2 Reg. 17, 31.), n. daemonis tenebrosi apud Zabios, vel ***Tadd'ita,***

velut בַּעֲלִים (Jer. 40, 14., Codd. aliquot per errorem: בעלים), Belo addictus, בַּרְקוֹס (Ezra 2, 33. Neh. 7, 55.), fulmineus, fulminator, phoen. *Barcas* (Gesen. Monumenta p. 403.). Femininorum hac terminatione formatorum nonnisi unum exemplum exstat, n. פִּלֶגֶשׁ (פִּילֶגֶשׁ), targ. פִּילֶקְת, *παλλακή*, pellex, a v. comp. פָּ־לַג, semen dispergere, simpl. לַח, *λαγ-νεύειν*, *λαικ-άζειν*, *λοχ-εύειν* (semine irrigare), cf. sanscr. अप्सरस्, nomen Naïadis.

Sexta classis nomm. secundariorum desinit in *Dalet*, quod, intercedente vocali, cum stirpe verbali aut nomine primario conjunctum sonat:

ad, *id*, *od*,

terminationes sane rarissimae, quarum quandam similitudinem speciemque gerunt *Unadi* sanscritum *ad*, gr. *άδ* et *ίδ*, lat. *do* in adjectivis, quod Pottius cum rad. *d'â*, *θη* (ponere, efficere) cohaerere arbitratur. Huc pertinet n. לַפִּיד (v. p. 145. not.), eodem modo quo gr. *λαμπάδ* (*luci-do*) formatum, in quod quidem non minus apte, quam in sanscritum शरद् (autumnus utpote pluviosus) verbalis quadrat ejus affixi deductio. Eodem referri oportet nmm. עַרְפַּד (Trg. hieros. II = עֲטַלֵּף), vespertilio, a v. עֲרַף, tenebricosum esse; — פַּרְצִיד (v. p. 75.), פַּרְקַד, פַּרְקִיד (p. 90.), פַּרְשַׁד (unde פַּרְשְׁדוֹן, e n. prim. פֶּרֶשׁ, p. 165.), et רַפְסֹדוֹת (2 Chr. 2, 15.), trabes colligatae, ratis, a v. רָ־פַס = רָ־פַד, sternere (*hinbreiten*), quod Gesenio ex رَمَثٌ et רָפַד compositum esse videtur[1]).

[1]) Praetereo hoc loco sat magnam nmm. talmudicorum copiam, quae de Graeco expressa sunt, velut קַרְמִיד, *κεραμίδ*.

En generationem propagationemque nominum, reconditam illam ac plane mirabilem, in qua linguam hebraicam prorsus eandem cum sanscrita rationem viamque ineuntem videmus. Magnopere profecto hallucinati sunt grammatici, qui nomina earum sex classium plurima composita esse asseruerunt, et semet ipsos eludentes, demonstrare conati sunt id, quod legibus semitismi omni ratione adversaretur. Scilicet isti, cum linguae hebraicae, quae nmm. appellativa componere et ipsa scriptione conjungere non consuevit, eius compositionis consuetudinem vana opinione ducti affingerent, ei similitudinem aliquam cum sanscritismo mere externam obtruserunt et necessitudinem, qua cum eo juncta est, vere intimam abnegaverunt. Ecquaenam compositio arctior, ecquaenam subtilior esse potest, quam nominum cum affixis illis, licet individuis, tamen significationis propriae non expertibus? quae quidem affixa et formativa et demonstrativa earum ambarum linguarum, sive formas eorum sive potestates consideras, communia sunt. Quodsi lingua hebraica in hac coagmentatione adstrictiori cum sanscrita consentit, parvi profecto refert, utrum in compositione altera liberiori solutiorique congruat an discrepet. Neque enim tam amentes sumus, ut, omnibus omnino discriminibus sublatis, linguas sacras Hebraeorum atque Indorum unam eandemque esse asseveremus, quarum inaequalis varietas disparilisque species oculos ferit. Sed quanta est externae formae et tanquam faciei earum dissimilitudo, tantam in iis elementorum, ex quibus concreverunt, paritatem, tantam compagum internarum et in occulto latentium aequalitatem esse confirmamus.

Atqui concedi oportet, semitismum, qui lege nulla composita appellativa habet, habere nonnulla exceptione, ita ut non sine adjuncto prorsus ei abjudicari possint. Haec vero composita vel ex locutione vulgi vel ex studio brevitatis vel ex peregrinarum linguarum imitatione fluxerunt, uti in exemplis nonnullis hebraicis supra vidimus. Praeprimis vero aramaica lingua, cujus dialectus plebeja in talmudibus nobis conservata est, compp. appellativorum illustria quaedam exempla nobis suppeditat, non illa compp. dico, quae ex linguis Persarum, Graecorum Romanorumque mutuata est (quorum quidem ingens est multitudo), sed ea, quae vel ex mere aramaicis vocabulis conflata sunt, sicut זַלְדְּקַן et עַבְדְּקַן[1]) (Sanhedrin 100, b.), מַלְטְמַיָּא[2]) (Oholot XVII.), הוּמְטְרַיָּא (Sabat 109, b. = חוּטְרָא דְּרַעְיָא, n. plantae, propter pedi similitudinem, misnice אֲבּוּבְרוֹעֶה, אֲבּוּבְרוֹאֶה), שָׁלֵינוּנָא, et שְׁפַּרְנוּנָא (nmm. piscium, Onkelos Lev. 11, 17. Aboda zara 39, a.)[3]), vel compositione hybridâ ex vocabulo aramaico et peregrino coaluerunt, velut גְּזִרְפַּט, judex

[1]) In proverbio Pseudo-Bensirae: זלדקן קורטמן עבדקן סכסן, h. e., *raribarbus astutus est, crassibarbus stultus.*

[2]) Glossa: קפירה מלאה עצמות (= מְלֵא טְמַיָּא, ***Beinhaus, Todtenacker,*** cf. בת מלא in inscriptione punico-numidica, Gesen. Monumenta p. 189.).

[3]) Nmm. אֲמַרְכַּל (jerus. מַרְכּוֹל = מַר עַל־הַכֹּל), בּוּלְסוּף (vulg. בּוּרְסִיף = בִּלְבּוּל שָׂפָה), דּוּרְקְטִי (= דּוֹר קָטוּעַ), סַסְגּוֹן (שֵׁשׁ בְּגָוָנִים), סִסְגּוֹר (Imre Shefer 13, b.) et alia vocabula exterae originis talmudica aetate jam adeo invaluerant, ut pro compositis semiticis falso haberentur, cf. p. 195, not. 1.

idolatra (ex v. גָּזַר et pers. بت, idolum),[1]), גַּבְיָטִימוֹן, exactor vectigalium (ex n. גַּבָּאי et gr. *τιμή*, census), דְּיוֹמָדִין, duae columnae (ex n. עַמּוּדִין et gr. *δύο*, ipsa Gemara testante). Similiter apud Syros coaluerunt trita ista ac mere semitica ܐܟܠܩܪܨܐ, calumniator, *διάβολος*; ܪܒܟܘܡܪܐ, sacerdos summus, *ἀρχιερεύς*; ܡܣܒ ܒܐܦܐ, acceptio personarum, *προσωποληψία*. Porro notum est, linguam aramaicam ejusque imitatione neohebraicam abjicere extremas literas nominum בַּר et בֵּית, quo firmius arctiusque, omni duritie sublata, cum vocabulis consequentibus connecti queant, e. c. בִּרְבִּי (= בַּר־רַבִּי), בֵּישָׁנִי (= בֵּית־שְׁאָנִי), n. gentil. (Megila 24, b.), בֵּיחָם (= בֵּית־חָם, domus soceri, socer), בֵּיטְמָיָא (בֵּי־טְמָא, domus ossium s. luctûs de mortuo), cujus apocopes exempla in nn. pr. exhibent itidem lingua hebraica vetus, velut בִּדְקַר (= בֶּן־דְּקַר, hastatus), בִּמְהָל (= בֶּן־מְהָל, circumcisus), arabica, velut بلغنبر (= بنو الغنبر, *Tebrizi* ad Hamas. ed. Freytag p. 3.) et prae ceteris phoenicopunica, quae in majorem compositionis facilitatem et aphaeresin et apocopen multa cum licentia adhibet, e. c. בד = עבד in nn. pr. בדאשמן (servus Aesculapii), בדעשתרת (servus Astartes); מל = מלך in n. pr. מלקרת (unde cum duplici compendio: ברמלקרת, servus regis urbis, h. e. Herculis), ח = חן in n. pr. חמלקר [2])

[1]) Ex eodem vocabulo persico facta sunt פַּתְבַּג, bibl. (Götterspeise), פַּתְכַּר, targ. et syr. (Götterbild), syr. פַּתְכָּרוּ (Götzenbilderdienst), פַּתְכּוּמַר, targ. (Götzenpriester).

[2]) Gesenius, Monumenta p. 442. et in glossario ex inscriptionibus et numis collecto. Consimilia sunt aram. רַפְּרַם

etc. Immoderata vero cum libertate synezesi et omni abbreviationis genere utitur dialectus hierosolymitana in componendis vel potius pronunciatione constringendis tum nominibus tum verbis et particulis, arabicae linguae, praecipue neoarabicae hac in re simillima [1]). Sed in arabica quoque lingua compp. nominalia appellativa nonnisi in ore vulgi pronuntiationis acceleratione exstiterunt. In arabismo vetere, puro illo atque incorrupto, vix

(= רַב אֶפְרַיִם), שַׁלְמְצִי et שַׁלְצִיּוֹן (= שְׁלָם צִיּוֹן, Zunz, Namen der Juden p. **24**. s.) et aliae nn. propriorum alias divise scriptorum contractiones, quae ex singulis fere paginis Gemarae Midrasorumque palaestinensium occurrunt.

[3]) Sic hierosol. dicitur יֵאבָךְ, erit in te (= יְהֵא בָךְ, cf. galil. תְּאִי אוּכְלִיךְ = תּוּכְלִיךְ), הַיְלֵן, quaenam? (= הָאִי אִלֵּין), דו, hicce (= דְּהוּ), כֵּנִי, itane? (= כֵּן הִיא) etc., cf. arab. لِسَّا, usque ad horam, adhuc, *ancora*, (= لِلسَّاعَة = لِلسَّعَة), vulgar. arab. أَيْوَه, per Deum, profecto, certo (= اى والله). In Syria pr. demonstr. هذا et هذه cum articulo insequentis substantivi contrahitur in هل, velut *halkitâb*, hicce liber; *halbint*, haecce puella, aegypt. arab. *délkitâb*, *délbint*, contractis eodem modo ذا, ذه (vulgar. ده, دى), adverbialiter syr. arab. هَلَّقْ, hoc tempore, modo, nunc (= هذا الوقت). Similiter n. شَيْءٌ in fine compositorum in *'sh* mutilatur, e. c. اخذته بلاش, *achattuh b'lâsh*, h. e. accepi id pro nihilo, gratis; أَيْش, quaenam res, quidnam?; لَيْش, quamobrem, quare?; لَشّ (plenius لاش, inter Persas et Turcas), cadaver (= لا شيء).

ac ne vix quidem aliqua exempla reperies et vel in neoarabismo perpauca duntaxat; siquidem lingua, cujus oratio cursu quasi continuo undanti volubiliter defertur, nullo hiante literarum concursu impedita et prope nullis intervallis interpuncta, cujus singula verba quasi cohaerescentia inter se et semet invicem apprehendentia proclivius labuntur, compositis, quae etiam scriptione conglutinentur, non eget. Quare nomm. composita, quae arabicae linguae tribuuntur, vel *peregrina* sunt medio ejus aevo a Persis aut Grajis accepta, vel *commentitia*, uti عَنْدَلِيبٌ, ضَفْدَعٌ etc., quae admoto investigationis in naturam linguae intrantis lumine, in nihilum occidunt et maximam partem, ipsis Arabum grammaticis concedentibus, ad classem eorum nomm. pertinent, quae جَامِدٌ (opp. مُشْتَقٌّ, abscissa, derivata, verbalia) vocantur utpote per se subsistentia et omni organica cohaerentia cum verbis destituta, vel denique *recens novata*, uti istuc مَاجَرَا, quod tantummodo a scriptoribus sequioribus de eventu vel collective de rerum eventis s. historia, sicut neohebraicum קורות, usurpatur [1]). Commemoratione autem dignum est,

[1]) N. مَاجَرَا s. مَاجَرَى (pl. مَاجَرَايَات more arabico, مَاجَرَاهَا more persico, مَاجَرَالَرْ more turcico) dubito an, praeterquam a Persis et Turcis, ab Arabe quoquam substantive usurpetur; nam quod persice dicitur مَاجَرَاءِ اُو, turcice مَاجَرَاسِى (id quod ei accidit), arabico sermone مَا جَرَى لَهُ exprimere debebis.

linguam arabicam quatuor verba confinxisse, quae omnem sanscriticae compositionis emphasin multo exuperant, quippe quae singula non ex nomine derivata, sed ex toto enunciato (جُمْلَة) mirandum in modum decurtata et confusa sunt: حَمْدَلَ (h. e. dicere: الحمد لله, laus cuncta est Deo), بَسْمَلَ (h. e. dicere بِسْمِ ٱللّٰهِ, in nomine Dei miseratoris misericordis), حَوْقَلَ s. حَوْلَقَ h. e. dicere: لَا حَوْلَ وَلَا قُوَّةَ إِلَّا بِٱللّٰهِ, plenius: بِٱللّٰهِ ٱلْعَلِيِّ ٱلْعَظِيمِ, non est potentia nec robur praeterquam in Deo), سَبْحَلَ (h. e. dicere: سُبْحَانَ ٱللّٰهِ, laudem praedico Dei), quae verba plane singularia sunt omnibusque analogis carentia. Nam v. neoarab. جاب (= *g'â-b*)[1]), venire cum aliqua re, afferre, cujus forsitan geminum est ortûs ratione vetustius illud مال (=*mâ-li*), opes, possessio, et v. aram. בַּרְזֵג (ortum ex בר־זוג, compar, Hieros. I Deut. 32, 4.) tenuem solummodo eorum similitudinem habent.

Neque praeterire hoc loco possum genus compositionis, quod lingua aramaica vulgaris cum arabica vulgari commune habet, et quo ambae pro virtute illa linguae arcana, qua certis ex legibus non solum construit, sed etiam destruit, ad sanscritae

[1]) Ad s. nominis interjectionalis وَيْلٌ, quod, etsi jam in Qorano c. dat. pron. pers. construitur, tamen, ut apparet, ex وَىْ لِى antiquitus contractum est.

linguae similitudinem proxime accedunt. Aramaica enim lingua in numeralibus cardinalibus et ordinalibus ab his derivatis inde a num. XI. usque ad XIX. numerum decenarium eliso *Ghain* initiali cum numero altero arctissime copulat, idemque facit neoarabica, non solum elisa litera ع, sed abjecto etiam ر vocis عشرة, uti exempla subjecta ostendunt[1]):

[1]) De insequentium numeralium sanscritorum cum semiticis necessitudine multa argute indicata sunt in *Fuerstii* Systemate L. Aram. §. 208. De eorum propagatione et vicissitudinibus in linguis indogermanicis egregie, ut solet, sed interdum audacius exposuit *Boppius* in Gramm. Comparat. II. §. 308. ss. Notas vero etymologicas de numeralibus in *Ewaldi* grammatica (1838. §. 434.) non possum non pro jejunis ac solivagis habere. Composita numeralia arab. exhibui, sicut a Mauritanis pronunciantur (*Dombay,* Grammatica Mauro-Arabica §. 55.); pronunciationem vulgarem uncinis inclusam adjeci (*Causin de Perceval*, Grammaire Arabe-Vulgaire 1824. 4. p. 64.).

[COMPOSITA NUMERALIA LINGUAE SANSCRITAE, ARAMAICAE VULGARIS ET ARABICAE VULGARIS.]

êkâdâçan (ord. *êkâdaça*)	חַדְסַר (ord. חַדְסְרַי)	احدعش (*hhidaś*)
dvâdaçan (goth. *tva-lif*, ex *dvâ*, *tva*, mal. *toru*)	תְּרֵיסַר (ord. תְּרֵיסְרַי)	ثناعش (*t'naś*)
trayôdaçan (a simpl. *tri*, semit. *tli*)	תְּלֵיסַר (ord. תְּלֵסְרַי)	ثلاثعش (*tlitlaś*)
ćaturdaçan (*ćatvâr*, goth. *fidvôr*)	אַרְבֵּיסַר (√ רְבַע)	اربعتعش (*arbataś*)
panćadaçan (*panć*, semit. *chamś*, *chams*)	חֲמֵיסַר (חַמְשַׁר)	خمستعش (*khamtaś*)
śôḍaçan (= *śaś* + *daçan*)	שְׁתְּסַר (שְׁתְּסְרֵי)	ستّعش (*sittaś*)
saptadaçan (*saptan*, goth. *sibun*)	שְׁבְסַר (שְׁבְסְרֵי)	سبعتعش (*sebataś*)

Sed id quod in numeralibus nonnisi exceptione fit in sermone communis vulgarisque vitae, id in particulis semiticarum linguarum constanti consuetudine usuvenire videmus. Nam cum hebraica lingua, qualis in libris divinitus scriptis ad nos pervenit, tum neohebraica et aramaica, quales vel purae vel permixtae in libris legum doctrinarumque aetate posterioribus continentur, incredibili pollent particularum componendarum facultate, qua vel linguam sanscritam longe multumque superant. Neque enim solummodo *duae* particulae in unam conjunguntur, id quod passim fieri solet, velut hebr. אוּלַי (= אוּ־לַי, fortasse), neohebr. שֶׁמָּא (= שֶׁ־מָּא, id.), aram. הַלְוַי (= הַ־לְוַי, utinam, targ. לְוֵיפוֹן), sed etiam *tres*, velut hebr. מְאוּמָה (= מְ־אוּ־מָה, quidquam), neohebr. אֲכַתַּי (= אַ־כַ־תַּי, hucusque, talm. אַ, sequente *Dages*, = अ, Bopp Gramm. minor §. 620.), aram. מִדְּקָא (= מִ־דְּ־קָא, quoniam); copulantur etiam *quatuor*, velut hebr. מִבַּלְעֲדֵי (= מִ־בַּ־לְ־עֲדֵי, praeter), neoh. שֶׁאִלּוּלֵי (= שֶׁ־אִ־לּוּ־לֵי, quodsi non), aram. אִלּוּלֵיפוֹן, אִלּוּלָפוֹן (= אִ־לּוּ־לָא־פוֹן, nisi), jerus. וְהַיְדֶנּוּ (= וְ־הַ־יְ־דֶ־נּוּ, ecquidnam est?), targ. דִּכְמִי (= דִּ־כְ־מִ־י, sicut ego, Job. 8, 32.), atque adeo *quinque*, velut neohebr. שֶׁבְּשֶׁלְּמָא (= שֶׁ־בְּ־שֶׁ־לְּ־מָא, siquidem quoad), aram. דִּלְדִידְהוֹ (= דִּ־לְ־דִי־דְ־הוֹ, τὸ σφέτερον), disjunctâ extremâ: דְּבִיהֵיכִי דְּ (= דְּ־בִי־הֵי־כִי דְּ), et *sex*, junctis voculis per *Makef*: אַף־עַל־פִּי־שֶׁלֹּא־כֵן), quamvis non ita), aut, divisis iisdem in duo vocabula: אַדְהָכִי וְהָכִי (interea). Mirabere profecto interminatam hanc particularum conglomerationem, quae insuper partim aliis orationis partibus praefiguntur (e. c. שֶׁבְּשֶׁ, כִּדְּקָ), partim per sigla indicantur (e. c. כשׁ״ב, אעפ״כ, אעב״ו), cum talmudes, magisque etiam,

cum libros recentiores idiomate talmudico conscriptos perlustrabis.

Perlibenter hoc loco plura adjicerem de radicibus pronominalibus, de earum propagatione deque sanscritarum cum semiticis necessitudine, sed sint tibi haec, quae disserui, quantula ea cunque sunt, quasi indicia fontium illorum, ad quos si nobis eisdem ducibus aliisve ipse accesseris, tum et haec ipsa fortasse melius tum multo majora alia cognosces, quae quidem nos praetermisimus, vel quia investigatio nondum tantos progressus habuit, vel quia hujus voluminis angustiae brevitatem exegerunt. Siquidem jam sentio me esse ulterius provectum, quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis linguae sansctissimae cum ornatissima consensus inexplicabilisque earum detinuit pulchritudo. Quam ut tu quoque, quicunque haec legis, comperias, ita tamen, ut linguam librorum nostrorum divinitus inspiratorum praeferas ei, quam foedissimae superstitiones inquinavere, vehementer exoptamus. His vero, quae oblata opportunitate dicenda putavimus, sic utere, ut omnia ad regulam veritatis examines, nil arroganter praejudices: quod si feceris, neque nobis injuriam impones, et discendo investigandoque indies longius procedes.

COROLLARIA*).

Ad p. 12. De *Jacobo Antoli* v. excerpta in Catal. Codd. Hebr. Bibl. Senat. Lips. p. 306. Inter Judaeos, quos *Fridericus II.* in deliciis habebat, referendus est etiam *Juda Samueli Kohen* Toletanus (fl. 1247), auctor operis grandis, *Midras Chokma* inscripti, quod arabica lingua exaravit et deinde, in Hetruriam ditionemque Romanam profectus, rogantibus suis popularibus, in sermonem hebraicum transtulit. In hujus operis, quod totum in physica versatur, parte alterâ exstant auctoris responsum ad imperatoris *Friderici* quaestionem (quam ipsi XVIII. annos nato et adhuc in Hispania degenti proposuerat), quomodo fiat vel describatur unaquaeque figura propositi circuli, et iteratae ejusdem *Friderici* ad auctorem et auctoris ad illum epistolae (Bern. de Rossi ad Cod. 421. et 771.).

Ad p. 15. n. 1. Cod. Bibl. Paulin. Lips. Ms. 102., Glossarium hebraeo-gallico-germanicum, librorum sacrorum ordine dispositum, vocabulis difficilioribus deinceps primum gallice, deinde hebraice, denique manu, ut videtur, recentiori germanice explicatis additisque, ubi auctori opus visum est, interpretamentis copiosioribus. *Jobus* commentario ad locos spissiores verbiosiori instructus est, in quo auctor itentidem nuncupat patrem suum et avunculum *Binjamin*, praeterea *Eliëzerum* (cum

*) Notas his corollariis comprehensas, quas legentibus non injucundas fore spero, neutiquam oscitanter in ipso volumine praetermisi, sed consulto ad extremum tertium librum reservavi.

additamento: מבלגנצי, ad 38, 31.), natum Balgentiaci (*Beaugency*, alias בלייגצי) ad Ligerem (*Loire*), *Rabenu Samuëlem* (ben-Meir, familiarem *Josefi Qara*), *Ibn-Qimchium* (אבן־קמחי), ut videtur, a lexicographo non diversum (ad 27, 8.), *Rabenu Tamum* (ר״ת), lexici *Machberet* inscripti auctorem. Etiam Megilae prolixius, quam ceteri libri, expositae sunt. Praeter grammaticos veteres et interpretes aetatis proximae, inter quos *Rashio* populari primas defert, hosce ab auctore anonymo adhibitos reperies: 1) *Parchon* (בעל הפרחון ,ר׳ הפרחון ז״צל); 2) *Mose ha-Darshan* Narbonensis (fl. 1075), ad Ps. 60, 4.; 3) *Elazar* מפלגי, ex cujus ore se nonnulla depromsisse testatur; 4) *Josef* (*Jose*) *Qara ben-Simeon* simpl. הקרא, fl. 1125.); 5) *Salomo Naqdan* (ad Gen. 8, 11. ejusque pentateuchum correctum ad Deut. 23, 2.), cujus Luzzatto in Proleg. §. XVI. nullam mentionem fecit; 6) *Crispin ben-Isaak ha-Naqdan* (קרשביא), cujus interpretationem cum ipso communicatam affert ad הטאת Ex. 5, 16.; 7) *Simson Meruani* (מרואניי), ex cujus scripto quodam nomina gemmarum pectoralis vernacula accepisse se testatur, quae quidem insertae singulari de iis gemmis dissertationi praemittit. Ex his aliisque indiciis consequitur, auctorem hujus glossarii perpetui Gallum fuisse eumque hanc Januam vel exeunte seculo XII. vel ineunte sec. XIII. conclusisse. Principia, ad quae ubivis se applicat, hispanica sunt, quamquam *Menahemum* non rarius, quam *Dunasum* et *Chajug'* adducit. Nomen auctoris, quantumvis accurate pervolutato opere, non inveni; nam neque titulus neque subsignatio exstat, desinente codice in *Megila Ester*, cujus major pars intercidit.

Ad. p. 16. not. ר׳ אברהם בן המביל. Sic in Cod. nostro, errore, ut videtur, scribae, legitur. Bern. de Rossi, quam scripturam suus codex (389) exhibeat, non adnotat. Verum in libro *Josefi Qimchii*, *Zikaron* inscripto, legitur: ר׳ אברהם בן קמביל (De Rossi, Cod. 396.) ibique convenienter cum Cod. nostro, uti Heim. Jos.

Michaël Hamburgensis mecum communicavit, refertur, cum literas serviles (אותיות השמוש) comprehendisse phrasi memoriali: הו״כן ש״ביל א״מ״ת.

Ad p. 23. n. 1. Poëma *Tami* (שיר על הטעמים) cum commentario exstat in bibl. *Heimanni Michaëlis* Hamburgensis. Idem possidet ס׳ הנקוד (v. p. 34. not.) ex *Mikraot gedolot* a Binjam. Heidenheimio descriptum et additamentis copiosis locupletatum, ac poëma aliud grammaticum, משירי אהודנו inscriptum et oratione hebraeo-talmudica pijuthice compositum, cujus auctor, uti acrosticha passim intexta ostendunt, est *Juda Arje* Krottoschinensis, idem, qui a. 1709. Dessaviae *Ohole Jehuda* edidit. Obiter commemoro, poëmatis grammatici, quod quadringentis versibus *Salomo ben-Gabirol* ad similitudinem الفية arabicae (ed. Sylv. de Sacy) composuit, versus XCV. a *Parchone* asservatos nuper editos esse a *Leopoldo Dukes*, Denksteine, Viennae 1837. p. 101—104.

Ad p. 62. Commemoratione dignum est etiam testimonium *Musae Maimuni ben-Obaidalla* Cordubensis de trium dialectorum semiticarum necessitudine, qui quidem in libro XXV. aphorismorum medicinae (فصول فى علم الطب مستخرجة من كتاب ابقراط وجالينوس) ait: اما اللغة العربية والعبرانية فقد اتفق كل من علم اللغتين انهما لغة واحدة بلا شك وكذلك السريانية قريبة منهما h. e. arabicam linguam et hebraicam quod attinet, omnes, qui utramque bene noverunt, in eo consentiunt, ambas sine dubitatione unam eandemque linguam esse, et syriacam utrique affinem (*Casiri*, Bibl. Arabico-Hispana Cod. 864.).

Ad p. 77. n. 1. Ingesserunt se arabicae linguae aliquot vocabula, quae aramaismum prae se ferunt et neque judaica (v. p. 83. n. 1.) sunt neque ex dialecto himjaritica fluxerunt, sed sunt *nabathaea*, ex sermone rustico Syrorum (Barhebr., Assem. T. I. p. 476.) desumta ac proinde magnam partem ad agriculturam per-

tinentia (v. Casiri de *Ibn-Al'avâmi* Hispalensis كتاب الفلاحة, Cod. 901.[1]). Haec vocabula[2]) congessit et de genuine arabicis secrevit *Abu Mans'ur Mauhub Algivaliki* in lexico vocabulorum exoticorum et in linguam arabicam receptorum, quod inscripsit: كتاب المعرب من كلام الاعجمى على حروف المعجم

Ad pag. 81. Arabes eruditi principem grammaticorum, qui in grummatica condenda primum elaboraverit, concordissime appellant أَبُو ٱلْأَسْوَدَ ٱلدُّوَلِيّ (non *al-Dulî*, uti in encyclopaedia Erschiana s. *Arabische Literatur* perperam scribitur, neque الدُّيَل, uti Eichhorn. Monum. antiq. hist. Arabum p. 73., appositis falsis vocalibus, scribit, pro الدُّئِل = الدُّوِل, id quod vel ex formarum verbalium ibi exhibitarum exemplis شتم وجزب h. e. شُتِم وجُزِب apparet) h. e. *Abu'l-Aswad Duïlensem.* In commentario quodam (Codd. Dresd. 89, 2. Fleisch.) in praefationem Syntaxis Arabicae, compositae illius ab *Al-Motarrezî* et *Kitâb al-Mis'bah* inscriptae, de Abu'l-Asvado haec habentur lectu dignissima: „*Abu'l-Aswad Duïlensis*[3]) audivit anagnosten Qurani legentem: *Inna*

1) Admirandum est, Arabem hunc doctissimum in magna scriptorum exterorum multitudine etiam libris punicis, qui nobis interciderunt, usum fuisse, in his *Hannonis* (اذون), *Magonis* (موغوطس), cujus XXVIII. volumina de agricultura Senatus Romanus in Latinam linguam transferenda curavit, et *Diophanis Nicensis Bithyni* (ديوفنطس), qui translationem graecam operis punici Magonis a *Cassio Dionysio Uticensi* factam excerpsit et hanc epitomen *Dejotaro* inscripsit.

2) Exemplum est בַּרְנָשָׁא (addend. ad vocc. p. 232 s. enumerata), de quo Algivaliki: اصله بالنبطية ابن الانسان

3) Cod. Dresd. 117, qui opusculum idem continet, primam nominis gentilicii syllabam scribit plene الدّوئلى et in notula adjecta

'llâha barîun min-el-mushrikîna va-rasûli-hi[1]), cum terminatione genitiva nominis *rasûl*. Quod cum audiisset, principem credentium, *Ali* (cui Deus propitius sit), adiit eaque de re certiorem fecit. Princeps credentium respondit: Hoc vitium ortum est ex commixtione barbarorum cum gente Arabum et ex multitudine eorum, qui hac ex commixtione progeniti sunt. Et ad edocendum Abu'l-Asvadum Duïlensem Ali haec adjecit: „„Partium sermonis tres sunt, nomen, verbum et particula. Nomen est id, quod rem per se nominabilem designat, verbum id, quod actionem nominis significat, et particula id, quod notionem in alio gignit (h. e. quod potestates nominum verborumque variat, rationes exprimit etc.). Agens in nominativo ponitur, et quidquid praeterea per nominativum exprimitur, species est agentis. Objectum in accusativo ponitur, et quidquid praeterea per accusativum exprimitur, species est objecti. Terminus alter status constructi (h. e. annexionis) in genitivo ponitur, et quidquid praeterea per genitivum exprimitur, species est termini alterius. Quae ut exposuit, *Ali* ad *Abu'l-Aswadum*, *Unhu hâdha*, inquit, h. e. „„hoc pete et hoc fac viam ad illud,"[2]) unde factum est, ut haec doctrina *Al-Nahw* vocitaretur, cujus illa, quae Ali pronunciavisse fertur, initia sunt atque fundamentum." Haec me munificentissimae *H. O. Fleischeri* eruditioni accepta referre, gratus profiteor. Teste *Al-Beshami* (in *Al-Fewâïd al-Miskijje* Cap. XVI. Cod. Sen. Lips. **230.** a. b.), *Abu'l-Aswad* erat Kadhi Basrensis, mortuus ao. Heg'. **69** (post Chr. **688—689**), et primus eorum, qui partem

diserte ait: „cum Dhamma literae د et cum Kesra Hamzae," ergo דֻאֵלִי vel plene דוּאֵלִי, quae quidem plena scriptio defectivâ deterior habenda est.

1) Id quod, depravato versus kuranici sensu (Sur. 9, 3.), significat: Profecto Deus nil societatis habet cum polytheistis et legato suo. Legere debebat: va-rasûlu-hu h. e. (Deus) et legatus ejus.

2) Stude, ut haec assequare (نحا cum accus.) iisque perceptis protinus ad reliqua pergas.

tem grammatices syntacticam (علم النحو) tractaverunt (اوّل من وَضَعَ). Idem tradit, primum eorum, qui partem grammatices formalem (علم التصريف) in corpus doctrinae redegerunt (اوّل من دوّن), fuisse ابو عثمان بكر بن حبيب المازنّى h. e. tribu *Mâzin.*

Ad pag. 81. Ipsa verba *Shemseddini Al-Ans'âri* in Antiquitatum Arabicarum Historia haecce sunt: ان قبل الاسلام ما كان للعرب قانون واعراب الكلام كان للعرب سجية لانهم مفطورون على الفصاحة فلما جاء الاسلام واختلطت الامم فكادت العربية تتلاشى فدعا امير المومنين ابى طالب ابو الاسود الدولى ووضع له قوانين Eodem loco, quem excerpsit Casiri (Bibl. Arabico-Hispana p. 2.), deinceps mentio fit *Sîbavaihi* Persae Shirazensis (ob. 796. p. Chr.), grammatici Arabum clarissimi (ابو بشر بن عثمان بن قنبر المعروف بسيبوية)[1], de quo *Shemseddin:* سيبوية هو امام البصريين ولم يزل اهل العربية يفضلون كتابه على غيره h. e. „*Sîbavaih* fuit princeps Basrensium, neque desierunt ii, qui lingua arabica utuntur, praeferre librum ejus ceteris omnibus.“ Hoc ipsum opus grammaticum tripartitum illud et multorum commentariis illustratum asservat Bibl. Escurialis (Codd. arab. I.)

Ad pag. 82. s. Ad vocabula ea, quorum potestas nativa per Islamum commutata est, referendum est n. كاهِن (sacerdos, arab. mantis). Quod ut comprobem, adscribam locum latine conversum ex *Abu-Bekri Abdallah Ibn-Muhammed Ibn-Shâhâwer*, ex gen-

1) Sic scribere debebam in libro meo: Wissenschaft, Kunst, Judenthum p. 251.

te *Esed*, nati in urbe *Rai (Er-Râzi)*. Liber ille (Cod. Senat. Lips. Bibl. Arab. 104.), sat magnum majoris etiam operis compendium, inscriptus est منارات السّائرين الى الله ومقامات الطائرين بالله, et sectionis tertiae (الباب الثالث) caput septimum (الفصل السابع) agit, uti epigraphe docet, de discrimine prophetiae et mantices (فى الفرق بين النبوّة والكهانة). Ibi (f. **20** v. et **21** r.) leguntur haecce: „Scito, fundamentum, quo prophetia nititur, majestatem divinam esse, fundamentum contra, quo mantice (الكهانة) nititur, animam humanam; porro, prophetiam complures stationes (مقامات) et gradus (مراتب) habere, qui quidem omnes divinae majestati innituntur, cum vicissim mantice tantummodo unam stationem, unum gradum habeat animae humanae innixum. Prima stationum graduumque prophetiae est etc. (enumerantur hoc loco quinque prophetiae gradus, quorum unusquisque altero est elatior, deinde auctor pergit:). Unus vero ille mantices gradus in eo consistit, quod anima hariolі vim ingenitam et naturalem possidet, quae valet simulacra (*εἴδωλα*) mundi spiritualis contemplari idque imperfecte duntaxat, quatenus hariolus de mysteriis mundi spiritualis certe aliquid pronunciare potest, ita tamen ut mysteria mentis divinae cognitione non complectatur. Quare de eiusmodi mysteriis vana subinde edicit atque adumbrata. Praeter hunc gradum nullum habet hariolus neque potestate tali instructus est, qua per voluntatem suam in res substantiales vim dominantem exercere queat, quemadmodum propheta per thaumathurgiam suam, etiamsi in quolibet effato id quod verum est praevideat. Olim vero كهانة dicebatur et intelligebatur scientia, eruditio (العِلْم). Eruditus (العالِم) *hebraice* appellabatur كاهِن, et in *Torâ* s. lege Aharon,

Mosis frater, gerebat cognomen كَهَنًا رَبًّا [1]), h. e. e r u d i t u s d i v i n u s (عَالِمٌ رَبَّانِيٌّ). At cum Deus Islamum in mundum introduceret, illa كهانة abrogata est, et vel nomen ejus ab eo inde tempore vituperium involvebat, quoniam religiones priores, in quibus ista obtinuerat, legitime antiquatae sunt. Erant inter Arabes etiam viri et mulieres, sapientium talium, quales كاهن nuncupabantur, personam suscipientes. Qui adiri solebant et quaerebantur, quis in hac illave causa superior esset discessurus, quomodo quis in hoc illove periculo se gerere deberet, quomodo haec illave dubitatio de origine ac cognatione esset solvenda. Ad has quaestiones percontantium respondebat *Kahin* ille oratione rhythmico-prosaica, et patefaciebat ea, quorum expositio ab ipso petebatur. Narrantur multae historiae, quae ad hanc consuetudinem spectant. Interdum etiam *Kahinum* illum disceptatorem in aliqua controversia assumebant; sed, ut veracitas ejus prius examinaretur, aliquid arcani divinandum ei proponebatur; quod si divinarat, partes litigantes judicio, quod ferret, sese subjiciebant."

A d p. 89. Centum quaestiones de re grammatica inter Cufiensem et Basrensem academiam acriter exagitatas complectitur liber كتاب الانصاف فى مسائل الخلاف, auctore *K e m â l e d d î n A b d e r r a h m a n A l - A n b â r i* (m. *A m b a r a e* in Assyria ao. Heg'rae 577.), ms. in Bibl. Escurialensi (Cod. Casiri 119.).

A d p. 92. n. 1. Locus Simsonis Naqdani (f. 8, a.) dignissimus est, qui totus adscribatur:

1) Cod. scriptum exhibet كَهَنًا وَبًّا, propterea quod sive auctor sive librarius *A l e f* definitivi aramaici כָּהֲנָא רַבָּא pro accusativo *nunato* habuit; quo exemplo confirmatur id, quod p. 9. s. not. 1. adnotavimus.

אבאר ביאור השוא היך הוא נע היך הוא נח דע כי השוא אינה תנועה בפני עצמת ולא המליצוה בשבעה מלכים כי לא ניתן עליה הוד מלכות ודע כי שלש יש דרך אחד כאשר תבא על אחהע דרך שני כאשר תבא על יוד דרך שלישי כאשר תבא על שאר אותיות שאינם לא אחהע ולא יוד:

דע כי כאשר תהיה על אחהע קריאתה כקריאת אחהע צאו ראו האלף בשורק גם השוא תקרא בשורק ְראִי שְׂאִי גם השוא תקרא בחירק כְּאוֹב מארץ קולך האלף בחולם גם השוא תקרא כמוה אך בכולם תחטף ותמהר קריאתה כדרך תנועה קטנה קְחוּ לכם בשורק ההית השוא כמוה קְחִי בחירק גְהִי נהיה דְּעִי בחירק גם השוא כמוה וכולם בחטפות ולא יעכבם כי ישמע קולם אך אם תצטרף עמהם געיא אז תאריך השוא בקריאת אותיות אחהע כמו צְאִי לך תקרא הצדי במעמד כתנועה חירק ביוד על הר נשפה שְׂאוּ נס תקרא השוא כמו שורק בויו תְּחִי נפשי ותהללך תקרא בחירק כמו החית קרבם בתימו לְעוֹלָם תקרא הלמד בחולם:

הדרך השנית כאשר תהיה על יוד לעולם תקרא בחירק על כל תנועות כמו בְּיָדוֹ בְּיָדִי וְיֹאמַר וְיוֹדֵעַ תקרא בחירק ובחטפות אך אם תצטרף עמם געיא אז תארכנה. כמו בְּיַד משה ואהרן בית של ביד תקרא בחירק מעמד וכן הפך ים לְיַבָּשָׁה וכאשר תהיו ב׳ שואים באמצע תיבה והאחרונה על יוד הראשונה תהיה נחה והשנית נעה בחירק כמו יִרְמְיָהוּ חִזְקִיָּהוּ הריש והית נחות והמים והדלת נעות בחירק וכן על אותיות אחהע כמו יִשְׁמְעוּ יִשְׁלְחוּ

הדרך השלישי כאשר תהיה השוא על שאר אותיות שאינם אחהע ולא יוד לעולם תנטה לפתח כמו שְׁמָנִים שְׁמָרִים רְבִיבִים כולם יקראו כקריאת פתח אך אם תצרף געיא עמהם אז תעמדנה ותארכנה כמו שְׁלֵמִים הם ונשובה לְכוּ חזו גְּדֶל המה לְבַב אנוש יסעד ורבים בהם לעולם יקראו באריכות בקמץ גדול ובהעמדה ואם תחברנה באמצע התיבה הראשונה נחה והשנית נוטה לפתח כמו יִשְׁקְלוּ יִשְׁמְעוּ יִזְכְּרוּ:

Ad p. 93. n. 2. Obstupui, cum derivationem nominis *Pu'a* philonianam eodem modo dudum enodatam inveni in versione hebraica libri philoniani de haerede rerum divinarum (מן היורש דברי אלהים, transl. a *Josepho Flesch* Moravo, Prag., Landau, 1830. p. 36.). Ceterum scito (id quod ἐν παρέργῳ commemoro), Philonis librum de temporibus dudum ab *Azaria de Rossi*, de legatione a Ch. Guenzburgio esse conversum pluresque etiam philoneorum operum translationes hebraicas de Latino videlicet factas Pragae et Vilnae in lucem esse prodituras. Philonis mentionem honorificam faciunt *Jusifon* (6, 63. ed. Breithaupt. p. 535 ss.) et auctor libri *Juhasin* (f. 138, b. 140, a.). Primus vero, qui scripta ejus inter Judaeos pervulgare studuit, est ille *David Provenzale* (*Meor Enajin* f. 185, b. 194, b.cf. 45, a.), cujus opera *Ir-David*, *Migdal-David* et *Dor-Haflaga* (lexicon comparativum) nondum typis exscripta sunt, et primus, qui Philonem *Rabi* nuncupat, *Juda Muscato* (*Nefuçot Juda* 1589. f. 2, b. 87, a. 125, b. 132, a. 171, b. 225, a.) quas notitias *Zunzio* debeo, judaicarum literarum sagacissimo existimatori.

Ad p. 115. Commemorabilis est opinio *Bar-Qaparae* (j. Megila I. §. 6.), qui, amore literarum graecarum seductus, antiquitate primas tribuit linguae graecae, jafeticarum, uti fere ibidem in Gemara babylonica dicitur, pulcherrimae (יפיותו של־יפת). Linguae indicae in talmudibus nusquam fit mentio, etsi scatent vocabulis, ad quae comparanda Persae fuerunt Judaeorum in Persia degentium quasi proxenetae. In scr. s. nonnisi bis invenitur n. הֹדּוּ Est. 1, 1. 8, 9. (contr. ex *Hondu*, syr. *Hendu*, arab. *Hind*), ubi paraphrasis una: מן הנדיא רבא ועד כוש דמן מדינחא דהנדיא רבא (India et Aethiopia bene discriminatis), altera: מן הנדקא. Nomen Indiae latet, ut perquam verisimile est, in n. סָדִין (in scr. quater), linum indicum, a nomine Indiae eo, quod ab Indo flumine petitum est, sanscr. सिन्धुः, cujus nominis spiritus dentalis intercidit in lingua persica: هندو (*Lassen.* Pentapot. p. 5 ss.,

Bohlen, Das alte Indien p. 9.), fortasse etiam in n. reginae Meroës Κανδάκη (Act. 8, 34), aeth. ሕንደከ፡ (*Hendaqe*), de quo v. Ludolf, Historia Aethiop. III, 2. Ceterum tum in paraphrasibus tum in talmudibus nomine Indiae omnes terrae ad occidentem meridiemve sitae et speciatim ignotae, velut Persia occidentalis, Arabia inferior, Aethiopia, Libya, comprehenduntur. Sic Jer. 13, 23. כּוּשִׁי vertitur הִנְדּוֹאָה (def. adjectivi הִנְדּוֹי), Gen. 25, 18. חֲוִילָה vertitur הינדקא (cf. הינדקי, ib. Gen. 10, 7.). Nomen Indiae idem *Hindeqa* invenitur Qoh. 2, 5., ubi in paraphrasi leguntur haec: נציבית בהון אילני סרק וכל אילני בוסמין דאייתין לותי טלני ומזיקי מן הנדקא, h. e. „plantavi in iis arbores non frugiferas et cujusquemodi arbores odoriferas, quas lemures ac daemones ex India mihi asportabant,“ Est. 1, 14, ubi Codd. alii legunt הנדיקא, alii הינדקין, addita terminatione *in*, quae vocabulis peregrinis adjici solet. Inter doctores talmudicos notus est יהודה הינדואה, *Juda Indus* (sec. glossam Rashii ex commixtione supra commemorata ortam: Aethiops), cujus est fabula indicarum portentositate simillima (Batra 74, b. Charuze-Peninim XXXIII. 12—18), et cujus sine haeredibus mortui servum emit *Mar-Zuthra* (Kidushin 21, b.). Praeterea in talmudibus commemorantur: פרזלא הנדואה, *ferrum indicum* (Aboda zara I. f. 16.), הימלתא דאתי מבי הנדואי, electuarium s. *condimentum indicum* (Joma 81, b., ubi Rashi rursus Aethiopiam intelligit), הנדוין, *vestes indicae* (Joma 34. b., sicut פלוסין, vestes pelusiacae, מילתין, fortasse: milesiae), הנדז, mensurare (Batra 89, b.; siquidem artes mathematicae ex *India* ad *Judaeos* et *Arabes* devenerunt) et fortasse הנדקוקי, trifolium aegyptiacum (j. Pea, b. Erubin).

Ad p. 165. Auctor glossarii hebraeo-gallici ad Job. 26, 9.

פרשז (אֵקוֹבֵיטָא) וכן פתר מנחם פתרונו לפי ענינו והרב פירש ומלת פרשז תפיל אות האחרונה ותעמד על עיקרה כמו שפירש במלת חלמיש להפיל אות האחרונה ונשאר הלמי שהוא חזק כמו

„יחלמו בניהם" וכן כרכב המזבח להפיל בית ונשאר כרך שהוא סובב את המזבח וכן מהספס ומלות הרבה כמוהם:

Idemque ad Job. 33, 25.

רטפש (פִּי אַנְגְּרֵיישֵׁייה) מלה זו אין לו דמיון ויצטרך לפותרו בענינו כמו שתי תיבות רטוב ופש כמו „ופשתם כעגלי מרבק" וכמו „רט הדרך" והרב פירש שזאת המלה התחלק לפותרה רטוב ופש ואני פותר לה בכל מלות מרובעות להפיל ממנה אות האחרון שזהו השי"ן אז תעמידנה על עיקרה ויהיה רטף ופ"א תתחלף בב"ית רטוב וכן חלמיש ופי' בשרו לח ורטוב יותר ממה שהיה בימי הנוער כמו „רטוב הוא לפני שמש":

Ad p. 190. **Haud parvi momenti ad historiam linguae hebraicae tractationisque ejus grammaticae illustrandam haec *Ibn-Ezrae* observatio est, ex cod. mscr. libri *Safa berura*, quem 1167 Romae absolvit, desumta:**

דע כי הקדמונים היו אומרים כי שורש ירד רד לבדו ושורש ישב ככה ושורש עשה עש לבדו, וככה ימצא ברבי הפיוטים הקדמונים, ושורש נגע גע ושורש נטה ט"ת לבדו ויז על אהרן ז"ין לבדו ושרש מכה אביו כ"ף לבדו. וזאת היתה דעת ר' יהודה בן קריש ור' מנחם בן סרוק, רק ר' אדונים הלוי הקיץ מעט משינת האולת׃ כי הנזכרים תרדמת השם נפלה עליהם ויפקח אלהים את עיני לבב ר' יהודה בר דוד הוא הנקרא חיוג להכיר אותיות הנוה ואיך הם נוספים ונעדרים ומתחלפים, ויאמר ר' יהודה הנזכר נ"ע „אם אמרנו ששורש ירד רד לבדו וככה שב ועש, הנה משקל אחד לשלשתם, הנה נוכל לומר מן ירד רדתי כמו עוד רד עם אל, והנה יהיה לו טעם אחר ומן ישב שבתי ומן שב ישבתי גם רדיתי שביתי ומן עשה עשתי יעשתי וכמו לרדת נאמר מן שב לשבת ומן עש לעשת ונאמר מן ישב לשבות גם לשוב, והנה כל אלה מהרסי בניני הלשון" והדין עמו:

Ad hunc locum Ibn-Ezrae respicit Simson Naqdan, cum dicit (Simsoni f. 46, a.):

אהרי שובי ניחמתי על דברי ה"רר יהודה ב"ר דוד המכונה חיוג, כי בודאי נכונו דבריו, כי כיון שהסכימה דעתו של מה"רר אברהם א"ע עם דעת שאר המדקדקים, שאין פעל פחות מג' אותיות במקום שנמצא סמך לחסרון האות או דגש או אחד מן התנועות, ומ"ל והאזניהו וכדומה שהביא א"ע ודאי הם נוספות, כי יש ג' אותיות בלא אותיות הנוספות׃ אבל נהי הע"ין שאין נראין בו כי אם ב' אותיות ויש בו תנועות נוספות משאר פעלים, יש לנו לומר כי התנועה באה לחסרון האות׃ וגם ר' א"ע

כתב בספר **ארשת השפה** כי פתח השם את לב הר״ר יהודה בר דוד המכונה חיוג, כי הוא גלה על אתיות הסתר והמשך מה שלא נראה לשאר מדקדקים אשר היו לפניו:

Ad p. 191. **Errat igitur Bernardus de Rossi**, qui *Sefer ha-Nuah* a *Gecatilia* conversum esse dicit. *Ibn-Ezram* translatorem esse diserte dicit ***Juda Muscati***, qui codicem manuscr. ejus libri possedit, in comm. suo ad *Kuzari*, ***Qol Jehuda*** inscripto, II. init. §. 78., ad quem locum respicere videtur *R.* ***Abiad*** in l. ***Emunat Chakamim*** §. 26. Certissimum est vero, *Ibn-Ezram*, non alium, transtulisse *Sefer-ha-Niqud*, qui incipit his verbis: דע בני האל ידריכך בדרך הישרה כי קמץ גדול והקמץ הקטן לא ימצאו לעולם בלשון עבר על אות נח שוכן נראה במכתב. Nam in Cod. ***Heimanni Michaelis*** Hamburgensis, mercatoris literatissimi, haec clausula legitur: נשלם ספר הנקוד שחבר ר׳ יהודה הנקרא חיוג זצ״ל עם הוספות שהוסיף ר׳ משה הכהן נ״ע ואשר תרגמו הרב ר׳ אברהם בן מאיר ן׳ עזרא נ״ע מלשון ערבי ללשון הקדש בנ״לך וא״עי:

CODICES MANUSCRIPTI,
quorum loci selecti hoc in libro exhibentur.

ס' השמשוני, auctore *Simsone Naqdan* (Cod. Bibl. Univers. Lips. 102[a]), benevolentiâ *Aemil. G. R. Naumanni*, Phil. Doct. Gymnasii Nicolaitani Lips. Coll. Ord. et Biblioth. Senat. Praefect. II., pag. 16. 249. 252.

פירוש המלות, glossarium perpetuum in V. T. hebraeo-gallico-germanicum, auctore Anonymo (Cod. Bibl. Univers. Lips. 102[b]), benevolentiâ ejusdem, p. 15. 251 s.

שפה ברורה, auctore *Ibn-Ezra*, benevolentiâ *S. J. Rapoporti*, Rabbini Tarnopolitani, p. 252.

ס' הנקוד, auctore *Juda Chajug' Fessano*, benevolentiâ *Heimanni Josephi Michaelis* Hamburgensis, bibliothecae Codd. hebr. celeberrimae possessore, p. 253.

منارات السائرين الى الله ومقامات الطائرين بالله, auctore *Abu-Bekro Abdallah Ibn-Muhammed Er-Razi* (Cod. Sen. Lips. 104), benevolentiâ *Henr. Orthobii Fleischeri*, Phil. Doct. LL. Orient. in Univ. Lips. Profess. Ordin., p. 246 sqq.

اوراق لاعراب ديباجة كتاب المصباح, auctore Anonymo (Cod. Or. Dresd. 89, 2.), benevolentiâ ejusdem, p. 244 s.

الفوايد المسكيّة, auctore *Al-Beshami* (Cod. Senat. Lips. 230.,) benevolentiâ ejusdem, p. 245 s.

NOMENCLATIO

Grammaticorum, qui hoc in libro longius strictiusve commemorantur*).

---

*) In transscribendis nmm. orientalibus plerumque leges phonologiae secutus sum, ita tamen, ut interdum, a norma degressus, externae elegantiae cederem (praecipue in litera ק, quam modo per *q* modo per *k* reddidi). Hoc quoque scire te velim, me sanscritum श modo in *ç* (ad transitum ejus in literas e gente *K* significandum) modo in *s'* (id quod perinde est) transscripsisse, et, quod mihi perquam ingratum erat, pro arabico ك itentidem poni oportuisse ک, ita tamen ut intelligentium nemo in errorem induci queat.

**) اوحد الزمان ابو البركات الطبيب (صاحب المعتبر)

***) ابو الوليد مروان ابن جناح

*) Nomen urbis interpretatus est mihi *Zunzius*, qui mihi retulit, eundem Baugentiacensem commemorari in glossemate commentarii *Samuële Mëiri* ad Deut. 1, 2. et a מוה״רר אליעזר, qui in l.' מנחת יהודה nominatur, non diversum videri.

*) Hunc *Naqdanorum*, qui קרשביא nominatur, [illegible] in Gallia degisse, vix est, quod dubitemus. Nam in Responsis (שו״ת) *Salomonis Luriae* N. 29. vocatur קרשבי הדרום a patria הדרום, ubi natus esse dicitur etiam scriba quidam *Elia* (Wolf. I. p. 167.), a *Berekiâ ha-Naqdan*, qui et ipse קרשביה commentatus videtur (v. Ca-

tal. Codd. Senat. Lips. p. 273.), oriundus. Illud vero דרום neque est terra australis, uti Wolfius fingit, neque *Narbona* (Rapoport, Saadia p. 30. not. 25.), sed pagus gallicus, fort., id quod perquam verisimile est, *Val Drome* ad Drumam amnem (*la Drome*). Crispinum nostrum non esse eundem, quem ברכיה הנקדן, patris nomen declarat. Eum in Gallia vixisse certum est, praesertim cum קרשביהו נקדן glossam ad ס״מג Isaaki Corbelensis scripserit. Caligo igitur nondum prorsus dispulsa est (ex literis *Zunzii*).

*) *Salomonis Naqdani* mentio fit bis in פענח רזא, et in Janua vetusta mscr. in V. T. ad voc. טָרָף, quam proinde a Cod. nostro non differre apparet (ex literis ejusdem).

**) *Simson Naqdan*, si Heidenheimio fides habenda est (Löwenstein, Proverbia p. 38.), floruit c. 1240, in regione, ut videtur, rhenana (ex l. ej.)

Ex officina fusoria ac typographica Fr. Nies.

CORRIGENDA.

Pag. 10. not. Bdhetavii lege *Beidhavii.*

- 88. v. 18. הָמַר l. חָמַר.

- 103. v. 17. Praeterea l. Praetereo.

- 112. v. 27. Vedarum l. *Vedorum.*

- 225. v. 8. adde: רָגַל √ רג, [illegible].

- 235. v. 16. مُشْتَقّ l. مُسْتَقّ.

- 240. v. 15. sansctissimae l. *sanctissimae.*

